JACOBI FACCIOLATI
LOGICÆ
TOMUS TERTIUS

ACROASES XI. DIALECTICAS

COMPLECTENS,

HABITAS IN GYMNASIO PATAVINO:

Singulæ ad ſingulorum annorum ſtudia inſtauranda.

EDITIO QUARTA.

VENETIIS, MDCCLXXII.

Typis JOAN. BAPTISTÆ ALBRITII HIER. FIL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

224

32

INDEX

ACROASIUM.

I.	*De Enthymemate,*	Pag. 1
II.	*De Sorite,*	15
III.	*De Pſeudomeno,*	30
IV.	*De Achille*	42
V.	*De Ignava Ratione,*	55
VI.	*De Piſtilli Verſatione,*	69
VII.	*De Obſcuritate in diſputando,*	81
VIII.	*De Electra,*	94
IX.	*De Scientia & Inſcitia, quæ ad mores pertinet,*	105
X.	*De quo quærendum non ſit,*	114
XI.	*De Epichiremate,*	127

Digitized by Google

INDEX

EPISTOLARUM.

I. *AD Acroaſim primam de Enthymemate*, Pag. 140

II. *Ad ſecundam, De Sorite*, 142

III. *Ad tertiam, De Pſeudomeno*, 143

IV. *Ad quartam, De Achille*, 145

V. *Ad quintam, De Ignava Ratione*, 147

VI. *Ad ſextam, De Piſtilli Verſatione*, 149

VII. *Ad ſeptimam, De Obſcuritate in diſputando*, 151

VIII. *Ad octavam, De Electra*; 153

IX. *Ad nonam, De Scientia & Inſcitia, quæ ad mores pertinet*,

Et *Ad decimam, De quo quærendum non ſit*; 155

X. *Ad undecimam, De Epichiremate*, 157

Digitized by Google

225

DE
ENTHYMEMATE
ACROASIS I.
HABITA
MENSE NOVEMBRI MDCCXXIV.

ANno ſuperiore cum in altero Poſteriorum Analyticorum libro verſari juſſus eſſem, ſperavi fore, ut mihi non venia modo tribueretur ad ignoſcendum, ſed etiam gratia haberetur aliqua, ſi veteres illas formulas præterirem, quæ Græco nomine *Prolegomena* in ſcholis dicuntur. Nunc autem ad ipſum totius Operis quaſi limen revocatus, niſi de titulo, de materia, de fine, de uſu pauca dixero, in multorum offenſionem incurram, qui hæc ubique fere uſurpata, ac pæne ſacra, ſine piaculo omitti non poſſe ſibi perſuadent. His igitur dieculam concedam; quod ſatis ſuperque futurum exiſtimo. Nam ſi quis forte menſem poſtulat (quod video in more poſitum aliquando fuiſſe) ingenue fateor, copiam tantam non eſſe mihi doctrinarum iſtarum præclariſſimarum. Et quoniam iſtiuſmodi homines, antiquæ conſuetudinis cuſtodes & amatores, plerumque boni facileſque ſunt, peto ab illis etiam atque etiam, ut paululum me reſpirare ſinant, antequam illis morem geram. Non inficior æquum videri, ut qui *Prolegomena* in hanc lucem afferre conſtituit, ſtatim effundat; ſed verecundia impedior, ne frequentiam hanc tantam virorum doctiſſimorum tam frigida diſputatione excipiam. Itaque bona eorum venia nunc ſtatim ad Ariſtotelem accedo, qui cum in

prima horum librorum particula id rurſus ingerat, quod alibi ſæpe dixit, *Syllogiſmum & Inductionem ad Dialecticum pertinere, Enthymema & Exemplum ad Oratorem*, movet me, atque adeo impellit, ut id cujuſmodi ſit, in aperto ponam: quandoquidem primo illo die, quo mihi apud vos publice dicendi copia fuit, neſcio quid difficultatis hoc ipſo in negotio cum excitaſſem, magis quæſivi pro illa temporis brevitate, quomodo declinarem, quam quomodo tollerem. Illud videlicet ſollicitos nos habebat, habetque adhuc, cur mancum & anguſtum argumentandi genus, cujuſmodi eſſe ajunt Enthymema, Oratori tribuatur, augendæ orationis ſtudioſiſſimo; copioſum atque integrum, qualis omnium conſenſu Syllogiſmus eſt, aridis ac jejunis Dialecticis aſſignetur. Non tenebo vos pluribus. Nego, Enthymema eſſe ſyllogiſmum mutilum, ut vulgo Dialectici docent. Nego, inquam, & pernego, Enthymema enunciatione una & concluſione conſtare; quamvis ita in ſcholis omnibus finiatur, & a nobis ipſis finitum ſit aliquando, nolentibus extra locum lites ſuſcipere. Id nunc ſi vobis probavero, quemadmodum ſpero, in tuto erit Ariſtotelis nomen; quem quidem multi libenter reprehendunt, ſed pauci in reprehendendo utuntur judicio ſuo, vel quia nolunt, vel quia non poſſunt. Mihi ſane in tota hac controverſia nihil magis propoſitum erit, quam ut Ariſtotelem defendam, qui certe non ſibi conſtaret, ſi iſtis credendum eſſet. Defendam tamen ita, ut alii Dialectici de nobis queri non poſſint. Cum enim nihil niſi veritatem ſpectem, rem totam in omnes partes excutiam; nihilque eorum diſſimulabo, quæ adverſam opinionem firmare videbuntur: ut ſi cui forte in veteri propoſito manere libuerit, habeat vel a nobis, quo ſe tueatur.

Quinctilianus Inſtit. lib. 5. cap. 10. tres affert Enthymematis ſignificationes. Nam primum omnia, quæ mente concipiuntur, dici poſſunt Enthymemata: deinde ſententia quælibet cum ratio-

tione conjuncta Enthymema vocatur: poſtremo argumenti concluſio ex conſequentibus, maxime vero ex contrariis; &, ut ſcribit Hermogenes, ex qualibet περιςάσει loci, temporis, modi, perſonæ, cauſſæ, vel negotii, hoc nomine cenſetur. Ex quo fit, ut Enthymema apud dicendi ac diſſerendi magiſtros non unum intellectum habeat, ſed modo rem ſignificet, quæ alterius probationi adhibetur, id eſt argumentum; modo ſit ipſa argumenti elocutio & explicatio, quæ argumentatio dici ſolet. Ab Ariſtotele definitur cum in primo Rhetoricorum libro, tum in ſecundo Prior. Analyticor. συλλογισμὸς ἐξ εἰκότων, ἢ σημείων, *ſyllogiſmus ex veriſimilibus, aut ſignis*. In hoc enim tota ejus vis & natura poſita eſt, primo quidem ut ſit *ſyllogiſmus*; deinde vero ut *ex veriſimilibus, aut ſignis* conſtet. Nam quod alibi dicitur, *ſæpe ex paucioribus fieri, quam princeps ſyllogiſmus*, ἐκ πολλάκις ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός, conditio quædam eſt neque neceſſaria, neque perpetua, ut verba ipſa reputantibus ſatis apparet, & mox oſtendam. Hæc tamen viſa eſt ejuſmodi Dialecticis noſtris, ut in ea totam Enthymematis naturam & rationem collocarint. Rhet. l. 8. c. 89.

Igitur apud illos Enthymema eſt trunca quædam & decurtata argumentatio, cui vel propoſitio, vel aſſumtio deeſt: ſi utraque adſit, Syllogiſmus eſt, undecumque tandem ſumatur. Non miror, eſſe homines, qui ita ſentiant: miror, hujuſmodi homines venditare ſe tamquam Ariſtotelis alumnos, totiuſque Peripateticæ doctrinæ, ut ita dicam, hæredes ex aſſe. Unde hoc ſumpſerint, ſcire non licet; divinare fortaſſe licet. Unus eſt enim Ariſtotelis locus cap. 27. libri 2. Prior. Analytic. in cujus auctoritate deliteſcere videntur, capientes ſignum pro Enthymemate, hoc eſt argumentum pro argumentatione. Ecce vobis ipſa Ariſtotelis verba, ex quibus facile intelligetis, quantopere aberrent. Ἐὰν μὲν δὲ ἡ μία λεχθῇ

πρότασις, σημεῖον γίνεται μόνον· ἐὰν δὲ καὶ ἡ ἑτέρα προσληφθῇ, συλλογισμός. *Siquidem igitur propoſitio una prolata fuerit, ſignum ſit tantum; ſin autem & altera ſit aſſumpta, ſyllogiſmus*. Cum initio capitis hujus Ariſtoteles conſtituiſſet, Enthymema eſſe *ſyllogiſmum ex veriſimilibus, aut ſignis*, poſtea Enthymema non amplius dixit, ſed ubique ſyllogiſmum, uſus definitione pro re definita. Itaque in verbis modo allatis cum oſtendere vellet, quomodo ex *ſigno* fieret Enthymema, ſi ſit (inquit) pronunciatum unum, non eſt niſi *ſignum*, verum ſi aſſumatur alterum, fit ſyllogiſmus ex *ſigno*. Videtis, Auditores, quam hic nihil ſit, quo ſe tueri vulgares Dialectici poſſint, ſi modo intelligunt, quid ſit *ſignum*, & quid ſyllogiſmus ex *ſigno*. Quid quod hoc ipſo in loco Enthymema ſolvitur in partes tres per trium litterarum ſchema, Ariſtoteli familiare? Quid quod per figuras deducitur ita prorſus, ut verus germanuſque Dialecticorum ſyllogiſmus? Id, opinor, non negant Adverſarii; ſed agmine facto in nos irruunt, clamantes, ibidem doceri, modo propoſitionem, modo aſſumptionem prætermitti ſolere. Nempe ſi notæ ſint atque exploratæ: quod & in Rhetorico primo Ariſtoteles confirmat, ubi ſcribit, Enthymema ab eo fieri, qui dicat, *Dorieum coronandum eſſe, quia vicit Olympia*. Non enim (inquit tex. 90.) putat Orator, addendum eſſe, quod omnes norunt, *victores Olympiorum corona donari*. Hinc habetis, cur dixerit, Enthymema *ſæpe ex paucioribus fieri*; quem locum paullo ante attigimus: *ſæpe*, inquam, non ſemper; quia non eſt neceſſe Oratorium inſtrumentum anguſtius eſſe, quam Logicum, niſi ubi copia ſit ſupervacua.

Verum qui fit (inquiet aliquis) ut non eodem Dialecticus arbitrio, ſiqua redundant, abjiciat? Cur per inanes formularum ambitus argumenta ducit? Cur partes ſyllogiſmi omnes tanta religione perſequitur; nec pergit ſtatim ad extorquendum, quod videt ab adverſario negari non poſ-

ſe?

ſe ? Scilicet id eſt, quod quærimus, Auditores; & in quo maxime diligentiam in attendendo veſtram excitamus. Illud pro certo habete, quod ex omnibus Græcis Latiniſque harum rerum ſcriptoribus facile colligitur, veterem Dialecticam in interrogando & reſpondendo fuiſſe poſitam; nullamque enunciationem diſputatores illos in ſyllogiſmum conferre conſueviſſe, quam ex adverſarii confeſſione non expreſſiſſent. Cum enim fere non ad veritatem, ſed ad victoriam diſputarent, nihil erat tam perſpicuum, quod adverſarius ad incitas redactus non negaret. Hæc igitur prima cauſſa erat, eaque potiſſima, cur nihil vel exploratiſſimum Dialecticus interrogando præteriret. Altera refertur ad occultandam concluſionem, *εἰς κρύψιν τοῦ συμπεράσματος* ut eſt lib. 8. Topicor. c. 1. Quo loco Ariſtoteles monet interrogantes, ne ſtatim moveant quæ ſunt concluſioni proxima; ſed remotiſſima quærant, in ſumma rerum genera aſcendentes: quo minus ſibi adverſarius cavere poſſit. Proinde non ſolum enunciata ſyllogiſmi omnia rogari jubet ad orationem producendam, ſed & alia miſceri non neceſſaria, & probationes probationum interjici: ne concluſio prius appareat, quam colligatur. Cum igitur ajunt, Dialecticam eſſe adſtrictam & anguſtam, nihil aliud ſignificant, quam deeſſe illi ornatum & figuras, & quidquid ad animorum perturbationes pertinet. Ceterum argumenta ipſa, quibus utitur, ſi veterem conſuetudinem aſpicimus, multo, quam Rhetorica, ſunt verboſiora. Nunc autem tota illa interrogandi ac reſpondendi ars cum penitus obſoleverit, non eſt mirum, ſi ſyllogiſmos contraximus. Illud mirum, eſt, cur ita contractos Enthymemata appellemus, quaſi vero argumentandi ratio & natura varietur, cum brevius effertur. Οὐ πρὸς τὸν ἔξω λόγον (inquit Philoſophus c. 10. hujus libri t. 77.) *ἡ ἀπόδειξις, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἐν τῇ ψυχῇ*. *Non ad externum ſermonem demonſtratio pertinet, ſed ad eum, qui in mente eſt*. Quare nihil quic-

quam efficiunt ad iſtarum argumentationum diſcrimen, qui contendunt, Enthymematis nomen ex eo eſſe, quod propoſitio, vel aſſumptio *ἐν θυμῷ*, *in animo* retineatur. Sive enim verbo ratiocinatio exprimatur, ſive animo tantum, perinde eſt. Quod ſi ratio nominis placet, Enthymema dicitur, quia ſit ſententia quædam, ſeu commentatio mentis noſtræ, quærentis in re aliqua, quid véro conſentaneum ſit, & ad perſuadendum accommodatum: Eſt enim *ἐνθυμεῖσθαι verſare animo, cogitare, commentari.* Ita viſum eſt Ariſtoteli appellare probationem ab Oratore ipſo excogitatam, ut ab iis diſtingueret: quæ ſunt *ἔξω τοῦ πράγματος*, *extra rem*, & aſſumptæ vocari poſſunt.

Sed videte, quæſo, ubi ſemel falſum aliquid poſitum eſt, quam multa ſequantur ſimilia. Nolo minutos Dialecticos memorare, qui cum ſtatuiſſent, mutilam quamlibet argumentationem eſſe Enthymema, ad alia multo abſurdiora, neceſſaria quadam conſecutione rerum compulſi ſunt. Ipſe ille vir ſummus Petrus Gaſſendus, hoc ſibi cum perſuaſiſſet, Ariſtotelem damnavit, tamquam pugnantia locutum in libro Topicorum altero, cap. 4. *Prætereo* (inquit Exercit. 7. in Ariſtotel. n. 4.) *quod dicit vitioſam eſſe illam orationem, quæ concludit, additis detractiſve aliquibus. Quaſi vero Enthymema vitioſum ſit, cujus tamen eſt longe frequentior, quam integri ſyllogiſmi uſus.* Liceat mihi diſputatori tam infirmo nonnihil dicere adverſus Philoſophum hunc ſine controverſia maximum, quandoquidem ille tantum ſibi licere voluit in Aritotelem, ducem noſtrum. Primum quod ſcribit, in Dialectica frequentiorem eſſe uſum Enthymematis, quam ſyllogiſmi, communi errore ducitur. Deinde quod exiſtimat, Ariſtotelem eo loco, quem reprehendit, loqui de enunciatis illis, quæ retineri in Syllogiſmo, & omitti poſſunt, videtur mihi in re minime obſcura ſponte cæcutire. Nihil ibi hujuſmodi eſt, ſi Græca ipſa verba recte perpendimus. Vitium notat Philoſophus noſ-

noſter Dialecticæ argumentationis longe graviſſimum, cum enunciationes natura ſua falſæ ſunt; vel ita parum probabiles, ut nihil ex iis concludi poſſit, ne detractis quidem ſupervacuis, aut additis neceſſariis. Solebat enim, qui interrogabat, modo copioſior eſſe, modo anguſtior, quam oportebat, ut ex arte, quæ ibidem traditur, tenebras offunderet reſpondenti. Verba Ariſtotelis hæc ſunt: Πρώτη μὲν [ἐπιτίμησις] ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ πυμπεραίνηται, μήτε πρὸς τὸ τεθὲν, μήτε ὅλως μηδὲν, ὄντων ἢ ψευδῶν, ἢ ἀδόξων, ἢ πάντων, ἢ τῶν πλείστων, ἐν οἷς τὸ συμπέρασμα. καὶ μήτε ἀφαιρεθέντων τινῶν, προστεθέντων, γίνεται τὸ συμπέρασμα. *Prima quidem (reprehenſio) cum ex rogatis non concluditur aliquid ad rem propoſitam, nec omnino quicquam, quod falſa ſint, vel improbabilia omnia, aut certe plurima eorum, in quibus ineſt vis concluſionis; & neque detractis quibuſdam, neque additis, efficitur concluſio*. Numquid eſt cauſſæ in his verbis, cur Ariſtoteles vapulet? Eſtne aliquid, quod poſſit ad Enthymema traduci, ſi modo tenemus, quid ſit Enthymema? Non pauca ſunt generis ejuſdem in Gaſſendi Exercitationibus, quæ neque Ariſtoteli, neque Ariſtoteleis negotium exhibent; quamvis non diffitear, multa vera eſſe, & magno illo ingenio prorſus digna.

In viam redeamus. Urgent atque inſtant adverſarii noſtri, quod in cap. 27. libr. 2. Prior. Analyt. paullo ante memorato Enthymema dicatur *ſyllogiſmus imperfectus*, hoc eſt, ut vulgo interpretes explicant, mutilus atque imminutus. Fateor equidem locum hunc ancipitem eſſe ac periculi plenum, cui me non ante committam, quam Julium Pacium adjutorem adſciſcam, virum Græcarum litterarum peritiſſimum, Philoſophum in primis bonum, & Ariſtotelis Interpretem, quot ſunt, quotque fuerunt, quotque futuri ſunt, longe præſtantiſſimum; licet in ſcholis noſtris, neſcio quo litterarum fato, non valde notum. Hunc primum inveni ex infinita illorum

turba, qui de his rebus præcipiunt, hunc inquam primum, qui communem opinionem firme graviterque damnarit. Non audeo dicere unum, quia fuit præterea, qui dubitaret; atque adeo qui rem tentaret. Sed facem præferat Pacius unus, cujus apud me auctoritas tanti eſt, ut unum reliquis omnibus opponam. *Non dubito* (inquit in ſuis commentariis ad hunc locum) *quin verbum* ἀτελὴς *imperfectus, ex gloſſemate irrepſerit in contextum.* Movetur auctoritate primum quatuor codicum MSS. a quibus abeſt hæc vox; deinde Doctorum Lovanienſium, Rodolphi Agricolæ, & multorum præterea Interpretum, qui eam non agnoverunt. Græcos vero præſertim, Joannem Grammaticum, & Alexandrum Aphrodiſienſem in medium appellat, antiquiſſimos Ariſtotelis enarratores, qui de re hac ne ſuſpicati quidem ſunt: ſiqua autem eſt concluſio ex una ſumptione ducta, eam vocant, non argumentationem imperfectam, aut Enthymema, ſed ſyllogiſmum μονολήμματον. Addere poterat Sextum Empiricum, qui lib. 2. Pyrrhon. Hypoth. c. 13. & lib. 2. adverſus Logic. c. 6. contendit, ſyllogiſmum μονολήμματον eſſe perfectum, reliquos redundare nationibus & verbis otioſis.

Verum ſit eo loco ἀτελής. Numquid hac voce ſyllogiſmus ſignificatur, cui alterutra deſit enunciatio? Nihil ſane minus. Is demum *ſyllogiſmus imperfectus* ab Ariſtotele dicitur, & Enthymemati æquiparatur, qui non habet firmam concludendi virtutem. Eodem enim modo ſe habet Enthymema ad ſyllogiſmum, ut ſcribit Quinctilianus l. 5. c. 10. quo epichirema ad apodixim: atqui epichirema dicitur *apodixis imperfecta*, quia rem leviter manifeſtat: Enthymema igitur *ſyllogiſmus imperfectus* vocatur, quia leviter concludit. Quamquam vel ea de cauſſa Rhetorum argumentatio imperfecta dici poteſt, quod & præpoſtere ſæpe feratur, & quædam auditori intelligenda relinquat, quæcumque ea ſint. Logici enim per ſuos ſyllogiſmos *minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia*

(ut

(ut ſcribit Quinctilianus lib. 5. cap. 14.) *& ad liquidum, confeſſumque perducunt*: ideoque per intentionem atque aſſumptionem ad concluſionem recta pergunt; & quod propoſuerunt, per omnes partes efficiunt. Duas haſce argumentandi formas, earumque diſcrimen explicat Cicero in Partit. c. 13. *Argumentandi duo ſunt genera, quorum alterum ad fidem directe ſpectat, alterum ſe flectit ad motum. Dirigitur, cum propoſuit aliquid, quod probaret; ſumpſitque ea, quibus uteretur; atque his confirmatis, ad propoſitum ſe retulit, atque concluſit. Illa autem altera argumentatio, quaſi retro & contra, prius ſumit, quæ vult: eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis jacit, ad extremum*. Quæ *altera argumentatio* vocatur a Cicerone, Enthymema eſt, de quo Quinctilianus lib. 5. cap. 10. *Alii Rhetoricum ſyllogiſmum, alii imperfectum ſyllogiſmum vocaverunt; quia nec diſtinctis, nec totidem partibus concluderetur*. Quod autem partes aliquas deeſſe Enthymemati Quinctilianus ſcribit, nolite putare, vulgaribus Dialecticis eum favere. Illi propoſitionem, aut aſſumptionem deeſſe volunt, concluſionem non item: hic concluſionem vel in primis dignam putat, quæ conticeatur. Quare ejuſdem libri cap. 14. affert præclarum Enthymema ex Tulliana Oratione pro Ligario, *quod habet*, inquit, *propoſitionem, probationemque, non habet concluſionem: ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus*. Quo loco videtis, extra omnem controverſiæ aleam poni, Enthymemata eſſe quædam, & ſane optima, ſuiſque numeris abſoluta, quæ in ſola vertantur propoſitione. Hoc vero iccirco urgeo, quod Georgius Pachymeres, in Logica Peripatetica probatus & nobilis, hanc unam partem Enthymemati denegaverit, reliquas tamquam perpetuas ac neceſſarias conſtituerit. Accipe, Pachymeres, niſi te ſatis movet Quinctilianus, accipe inquam, quæ Tullius ſcribit in Topicis, cap. 13. *Ex hoc illa Rhetorum ſunt ex contrariis concluſa; quæ ipſi Enthymemata appellant;*

non

non quod non omnis ſententia proprio nomine Enthymema dicatur, ſed ut Homerus propter excellentiam commune Poetarum nomen effecit apud Græcos ſuum; ſic cum omnis ſententia Enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutiſſima, ſola proprie nomen commune poſſidet. Ejus generis hæc ſunt: HUNC METUERE, ALTERUM IN METU NON PONERE; EAM, QUAM NIHIL ACCUSAS, DAMNAS; BENE QUAM MERITAM ESSE AUTUMAS, DICIS MALE MERERI; ID, QUOD SCIS, PRODEST, NIHIL ID, QUOD NESCIS, OBEST. Ad quem locum juvat Severini Boethii verba referre. *Non totus*, inquit, *in his argumentationibus ponitur ſyllogiſmus, ſed propoſitio, cujus aſſumptio, & concluſio notæ ſunt*. Igitur non per Quinctilianum ac Ciceronem modo, ſed per Boethium quoque ſola propoſitio aliquando facit Enthymema: neque opus eſt, ut inferatur *feſtinata concluſio*: quod ille tamen ipſe de Different. Topicis lib. 2. ſcriptum reliquit, aliud alio tempore agens.

Fere autem, Auditores, hujuſmodi Enthymemata ex pugnantibus ſumpta, & enunciato uno comprehenſa, de quibus modo Ciceronem audiſtis, per interrogationem efferuntur: cujuſmodi eſt illud Horatii l. 1. ſerm. 3. v. 126. *Cur optas, quod habes?* Latet enim in his paucis verbis argumentum, quod facile in Logicas formulas conjici poteſt.

Huc quidam trahunt, quod habet Juvenalis Satyr. 6. v. 448.

—— curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema;

quod ego facile paterer, niſi viderem per hæc verba aliquibus fucum fieri, quaſi vero Enthymemata eatenus *curta* dicantur, quatenus cum ſyllogiſmo comparata paucioribus conſtent, ex communi ſcholarum regula. Nodum hunc expediam, vel potius plane recidam, ſi oſtendero, Juvenalem Enthymematis nomen pro Syllogiſmo Dialectico uſurpare; Locum integrum afferre oportet

portet, ut quæ dicturus ſum, facilius intelligatis.

Non habet matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus; aut curtum ſermone rotato
Torqueat Enthymema; nec hiſtorias ſciat omnes.

Reprehendit uxores, quæ nimio plus ſcire volentes, & Rhetoricam, & Dialecticam, & Eruditionem conſectantur. Tria enim ſunt veluti membra; neque ſecundum utique conſtare poteſt, niſi per *Enthymema* Logica ſignificetur argumentatio. Itaque optimi Codices non *curtum* habent, ſed *curvum*; hoc eſt volubile, & converſione concluſum; cujuſmodi ſunt Dialecticorum ſyllogiſmi, quos *lubrici anguis circulatos orbes* appellat Martianus Capella in principio libri quarti. Neque vero iccirco inficior, Enthymema *curtum* dici poſſe: ajo etiam, & confirmo præſertim hoc loco, ubi affertur ad diſtinguendam diſputationem Dialecticam a dicendi genere Oratorio. Sed nego, brevitatem conditionem eſſe Enthymematis neceſſariam: & qualis demum cumque ſit, nego, in eo conſiſtere, ut pede veluti uno ad concludendum feratur; ſicuti ſentiunt, & magno conſenſu docent harum rerum magiſtri.

Verum quod ſæpe tacitus animadverti, mecumque reputavi, palam ac libere aperiam. Homines iſti numquam Ariſtotelem legiſſe videntur; vel ſi legerunt, non intellexiſſe; vel ſi intellexerunt, non eum certe ducem ſequi, tametſi id verbo profiteantur. Nam ille tum hoc loco, tum pluribus aliis Enthymema ab Exemplo diſtinguit: at iſti quomodo diſtinguunt, cum Exemplum omne haud aliter atque ipſorum Enthymema, per ſumptionem, & complexionem afferatur? Si quis ita argumentetur: *Turpe fuit Thebanis inferre bellum finitimis ſine cauſſa; turpe igitur erit Athenienſibus quoque*; Dialectici noſtri procul dubio Enthymema vocabunt. Quid enim potius? At Ariſtoteles Exemplum facit, & alterum ab altero ita ſecernit, ut Exemplum ex re ſingulari ſenſibus ſubje-

cta

cta aliquid probet, Enthymema ex communi ra-
Sect. 18. qu. 1. tione, qua animus ſecum cogitat. Hinc in Problematis ſcribit, Exempla eſſe manifeſta, quod fiant ex ſingularibus; Enthymemata minus eſſe nota, quod fiant ex univerſalibus. Uno verbo ita ſe habent apud Oratores Enthymema & Exemplum, quemadmodum apud Dialecticos Syllogiſmus & Inductio. *Voco* (inquit Rhetoricor. lib. 1. tex. 68.) *Enthymema quidem Oratorium Syllogiſmum, Exemplum autem Inductionem Oratoriam.* καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν, παράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. Parum eſt quod Exemplum dixi: Quid Inductio? Nonne ipſa quoque, quantumvis extenſa, duas tantum complectitur partes? Quid enim eſt in hac argumentatione, *Homo ſentit, leo ſentit, aquila ſentit; ergo omne animal ſentit;* quid eſt, inquam, niſi ſumptum, & concluſum? Membra quidem in parte prima multa ſunt, ſed ſumptio una. Hoc igitur quoque, ſi Dialecticos noſtros audimus, purum putumque Enthymema eſt: at Ariſtotelem ſi conſulimus, Inductio vocari debet. Dicam rurſus, nomina hæc inter ſe diſtingui, non ex enunciationum numero, ſed ex ordine; maxime vero ex rebus ipſis, quæ fidem faciunt. Quapropter ſi quis dicat, *Terra interjecta eſt inter Solem, & Lunam; ergo Luna obſcuratur;* Syllogiſmum profert, non Enthymema. Facite, quæſo, ne iraſcamini, optimi Dialectici; moneo vos Ariſtotelis mei nomine, verbis quam poſſum clariſſimis, voce quam poſſum maxima, hunc, quem modo recitavi, Syllogiſmum eſſe, & ad veſtram ditionem pertinere. Ducitur enim ex cauſſa rei neceſſaria; rectoque ordine concluditur: quamquam verboſius e vobis efferri ſoleat, addita propoſitione.

Vetera ne moveas, inquiunt. Annos plus mille docemus, breviculas iſtas & contractas argumentationes Enthymemata eſſe. Ita juvenes ſeneſque in ſcholis clamant; ita placet. Quid jam conſtitutam Dialecticorum rempublicam novus homo,

mo vix uno, aut altero ſeditioſo cive ſtipatus, miſces ac perturbas? Per me vero ſtet res iſta publica; & ſiquidem poteſt, in alias etiam dominetur: quæ certe ſi quando corruat, nos quoque in exitium rapiet. Attamen libuit, de parte ejus non minima quid ſenſerit Ariſtoteles moderator ac princeps explicare; ſive illius cauſſa, ſive noſtra, qui anno ſuperiore quamdam movimus, ut in proœmio dixi, difficultatem, neque ſolvere potuimus.

Scio, eſſe aliquos, qui nihil audire velint, niſi quod ipſi aliquando probarunt, aut ab eo probari vident, quem ſuum ſibi Dictatorem conſtituerunt. Hoc ergo genus hominum diligentiſſime fugere ſoleo; quia fere pugnaces ſunt, & quod conſequitur, etiam injurioſi: in quo ipſe cum minime valeam, ſi quando me invitum retinent, libenter cedo; doleo de imbecillitate mea; grates ago, quod doceant; plenos ſui, beatoſque dimitto. Hic autem in tuto ſumus. Ex hoc loco libere, & ex animo pandimus, quæ nobis videntur; parati etiam, ſi ſit opus, monumentis tradere litterarum, quæ latius propagentur. Quamquam in hac quoque libertatis ſede, tantorum virorum judicio munita, eum diſſerendi modum perpetuo tenebo, ut non offeram me dimicationibus; verumtamen ubi ſe mihi offerent ipſæ, non committam periculi fuga, ut me aut inermem, aut ignavum homines judicent. Interim vero illud majorem in modum peto atque contendo, ut quando tam liberum eſt cuique ex ingenio philoſophari, mihi quoque liceat aliquid: & cum ego monſtra quælibet opinionum in aliis æquo animo feram, & ſiquidem cupiunt, laudem etiam; ipſi quoque me non ægre patiantur ad eam abire diſciplinam, ſeu nimis veterem, ſeu nimis novam, ſeu mixtam ex utraque, quæ mihi ſit probatiſſima. Una eſt VENETI SENATUS auctoritas, quam ego hac in re vereri conſtitui: ab hac nullo vel meo judicio, vel alieno impulſu recedam; nul-

lis

lis aut rationibus, aut conditionibus abducar: quod ab ejus quaſi numine ad hujus juventutis inſtitutionem accepi, perpetuum mihi, firmum, ratumque erit; nec quidquam fieri poſſe melius, aut cogitari exiſtimabo, quam quod ab eo Conſilio, quod ſapientiſſimum in terris habetur, conſtitutum eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE
SORITE
ACROASIS II.
HABITA
MENSE NOVEMBRI MDCCXXV.

AD ſecundum rediturus Poſteriorum Analyticorum librum, unde publicæ hujus exercitationis altero abhinc anno initia duxeram, deliberare animo cœpi, num eadem recinerem jam parata; an vero aliud quippiam commentarer, quod vel plane novum eſſet, vel novitatis ſpeciem aliquam præſeferret. Nam ex una quidem parte terrebat me novus labor in agro tam ſterili ſuſcipiendus: ex altera vero incredibili verecundia impediebar, ne crambem illam recoquerem, meiſque auditoribus, lautis oppido viris, & faſtidii delicatiſſimi, rurſus apponerem. Accedebat & illud ignaviæ ſuſpicionem defugienti, valde incommodum, quod non omnia licere mihi putabam, quæ ſibi licere Phyſici volunt, utentes ſæculi licentia, & ſua quadam cogitandi libertate, quam Philoſophiæ parentem appellant. Logicæ enim leges certæ ſunt atque immutabiles: neque ullus umquam ſtudia hæc ſuis inventis mutare poterit, niſi ratiocinationem, atque adeo rationem ipſam conturbet. Quid igitur reliquum eſt, niſi ut orbe veluti concluſi, teneamus quidem locum, ſed in eo ita moveamur, ut periti ſaltatores; quantumque fieri per nos poteſt, formam figuramque variemus? Illud certe erit novi, quod nunc demum in Dialectica poſſeſſione aliquanto magis confirmati, do-

ctrinam hanc a barbarie & obſcuritate liberare conabimur, vocantes in medium Scriptores illos, totius antiquitatis teſtimonio elegantiſſimos, qui diſſerendi ſtudium cum dicendi exercitatione, & reliquarum litterarum induſtria conjunxerunt. Id cum artem ipſam illuſtriorem faciet, & hoc loco magis dignam, tum nos ejus ſtudioſos ab invidia liberabit, qui *ματαιοτεχνίαν* quamdam, & umbraticas nugas agitare dicimur; quarum nullus ſit liberalibus ingeniis uſus ad eam, quæ humanam ſocietatem ornat, diſciplinam & eruditionem. Neque vero iccirco tantum nobis indulgere volumus, ut præſcriptos publica auctoritate fines egrediamur; ſed in illis perpetuo incluſi, pulcherrimas quaſdam Logicæ particulas oblivione ſepultas revocare conabimur, & illa ipſa, quæ vulgares diſputatores frequentant, pro talium natura rerum exornare. Quid ſit hoc, & quatenus valeat, ex edita a nobis *de Enthymemate* Diſſertatione, tamquam ſpecimine quodam cognoſci poteſt. Interim hodie ea ſumimus ad diſputandum, quæ Græci modo *ἄπορα*, modo *ἄλυτα*; modo *ἀσύστατα* vocant, Latini *Inexplicabilia*: quarum argumentationum ignoratio facit, ut nonnulli magnam Academicæ doctrinæ partem non recte intelligentes, ipſa quoque Ciceronis ſcripta, quæ de Philoſophia ſunt, abjiciant; aut minus, quam decet, aſſidue verſent. Atque ex his quidem ſiqua explicari poſſe videbuntur, explicare conabimur; quæ vero prorſus *inexplicabilia* nobis quoque apparebunt, poſtulabimus cum Stoicis, ut excipiantur. Qualia tandem cumque ſint, non debent a noſtris Dialecticis ignorari; quos ex turba deducimus, neque ſolum inter doctos; ſed ante doctos collocamus; ut facem veluti præferant, & ſapientiæ templa fideliter ſequentibus patefaciant. Vindicandæ ſunt nobis antiquæ poſſeſſiones; reparandum Dialecticum nomen; reſtituenda ſcholæ auctoritas; neque diutius patiendum, ut barbari neſcio qui *Summuliſtæ* adoleſcentibus imponant,

nant, ſibique Dialecticæ provinciæ imperium arrogent.

Inexplicabilia cum dico, videbor fortaſſe vulgaribus Logicis monſtra dicere. Nullus eſt enim nodus tam arcte implicatus, quem ſe per ſuas *Summulas* explicare non poſſe ſibi perſuadeant. Scilicet in re omni diligenter cavent, ne quid ignorare videantur. Attamen ita ſunt multa hujus generis in orbe diſciplinarum, ut hinc potiſſimum occaſionem Sceptici ſumpſerint aſſenſionis ſuſtinendæ; atque his tamquam parietibus ſeſe adverſus aliarum Sectarum impetum munierint. Nomen (ut ab eo incipiam) Ciceroni debemus; viſumque eſt Latinis hominibus ſatis commode exprimere griphos illos perplexos & flexuoſos, quibus ita ſe veteres Eriſtici diſputando implicabant, ut nulla appareret exeundi via. *Controverſia parum conſiſtens* (inquit Gellius lib. 9. c. 15.) *quod genus Græci ἄπορον vocant, Latine id non nimis incommode inexplicabile dici poteſt*. Duo ſunt autem inter *inexplicabilia*, quæ maxime celebrant Græci Latinique Scriptores, & ad exemplum afferunt ceterorum, *Pſeudomenos*, & *Sorites*. Ab his tamquam capitibus nos quoque incipiemus. Acad. 4. c. 29.

Ac *Sorites* quidem, in quo uno tota hujus diei diſputatio verſabitur, interdum utilis argumentatio eſt, certis ac perſpicuis legibus conſtans, non ſecus ac ſimplex ſyllogiſmus; quas ſiquis violet, facili negotio refellitur, ut poſtea demonſtrabo. Qui fallax & *inexplicabilis* eſt, Chryſippeus appellaur; ſive quod a Chryſippo ſit inventus (nam ipſi contra ſe Stoici has plagas texuerunt, & Carneadem armarunt, ut ſcribit Cicero) ſive quod ab eo magna contentione oppugnatus. Plures certe Chryſippi libros de Sorite recenſet Laertius in ejus vita. Hinc Perſius v. ult. *Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi*. Dicitur a Græca voce σωρός, tamquam ab *acervo tritici*; atque iccirco *acervalis* nominatus eſt a Cicerone l. 2. de Divin. c. 4. Eſt autem ratiocinatio, in qua minutis additioni- Acad. 4. c. 27. & 48.

bus, aut detractionibus ab eo, quod perſpicue verum eſt, ad id, quod eſt perſpicue falſum, diſputantem adducimus. *Ea eſt* (inquit Julianus Juriſconſultus de reg. jur. leg. 65.) *natura cavillationis, quam Græci σωρείτην appellant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes, diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur*. Itaque Lucullus apud Ciceronem l. 4. Academ. quæſt. c. 16. captioſiſſimum interrogationis genus appellat, quod minime in Philoſophia probari ſolet, cum aliquid minutatim & gradatim additur, aut demitur. Fit per interrogationem veteri Dialecticorum more hoc ferme pacto: *Decem grana paucane ſunt, an multa?* ſi *pauca* reſpondes, Dialecticus reponit: *Quid ſi unum addidero? quid ſi alterum, tertium, quartum?* donec exprimat unum illud, quod multa efficit; cujus ſane nobis cognitionem natura non eſt impertita. Quod ſi reſpondeas, *decem eſſe multa*, Dialecticus telam retexit, atque ita rogat: *Quid ſi unum exemero? quid ſi alterum, tertium, quartum?* Quo te interrogationis genere in anguſtias adducit, non invenientem ubi ſit conſiſtendum.

Hujuſmodi Sorite in re ſeria uſus eſt M. Tullius, ut oſtenderet, nullum eſſe furtum tam exiguum, in quod non ſit animadvertendum. *Videte, Judices* (inquit lib. 3. in Verr. cap. 94) *quam infinitam ſitis hominibus licentiam pecuniarum recipiendarum daturi. Si ternos denarios qui coegit, erit abſolutus, quaternos, quinos, denos denique, aut vicenos coget alius. Quæ erit reprehenſio? In quo primum injuriæ gradu reſiſtere incipiet ſeveritas judicis? Quotus erit iſte denarius, qui non ſit ferendus?* Hunc argumentandi modum *inexplebilem* Seneca dixit lib. 5. de Benef. c. 19. cui ſimilia multa referrem, ex omni antiquitate deprompta, ſi in re tam perſpicua opus eſſet auctoritatibus. Sex. Empiricus eo utitur adverſ. Grammat. l. 1. c. 3. ubi contendit, nullam eſſe Grammaticam artem; quod qui eam profitetur, nec omnia tenere poſ-
ſit,

ſit, quæ pertinent ad Poetarum & reliquorum Scriptorum interpretationem, quia ſunt infinita; nec ſane plurima, quia plurimorum numerus definiri non poteſt ob acervalem dubitationem. Etenim texendo ac retexendo, quemadmodum nos paullo ante multa cum paucis, ita ille plurima cum pauciſſimis confundit. Ex quo fit, ut Grammaticus ab eo non differat, qui Grammaticus non eſt. Callide pro Scepticorum inſtituto. Et vero ſi hæc concludendi ratio valeret, jam non Grammatica ſolum, ſed omnis prorſus diſciplina corrueret.

Sed redeamus ad Ciceronem, qui Soritem magnopere roboravit in Academica quarta ex doctrina Carneadis, ut Lucullo improbanti reſiſteret. Non omnia perſequar, quia ſunt nimis multa, atque ita abſtruſa, ut vix legendo ac meditando in otio domeſtico capi poſſint. Illud paucis dicam, iſtiuſmodi interrogationes, quæ paullatim ſubrepunt, & numquam deſinunt, revera *inexplicabiles* eſſe. Fatendum eſt enim. Fallunt certe quidem, quia pariunt abſurda; ſed infirmitate humanæ rationis fit, ut nequeant diſſolvi. Infirmitas autem in eo eſt, quod ſupremos atque infimos rerum gradus definire non poſſimus. Quo in loco obiter animadverto, id potiſſimum cauſſæ fuiſſe Zenoni Stoicorum principi, ut doceret peccata eſſe paria. Videbat enim, modum rebus figi non poſſe. Placet ipſa Ciceronis verba recitare, quæ ſunt in eadem Academ. 4. c. 29. *Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re ſtatuere poſſimus quatenus. Neque hoc in acervo tritici ſolum, unde nomen eſt, ſed nulla omnino in re minutatim interroganti, dives pauper, clarus obſcurus, multa pauca, magna parva, longa brevia, lata anguſta, quanto aut addito, aut dempto, certo reſpondeamus, non habemus. At vitioſi ſunt Soritæ*, Ita enim Lucullus eos appellaverat, & hoc nomine a Philoſophia excluſerat. *Frangite igitur eos*, inquit Tullius, *ſi poteſtis, ne moleſti ſint. E-*

runt enim, niſi cavetis. Cautum eſt, inquit Lucullus. Placet enim Chryſippo, cum gradatim interrogetur, verbi gratia tria pauca ſint, an multa, aliquanto prius, quam ad multa perveniat, quieſcere, ideſt quod ab iis dicitur, ἡσυχάζειν. Per me vel ſtertas licet, inquit Carneades; non modo quieſcas. Sed quid proficit? Sequitur enim, qui te ex ſomno excitet, & eodem modo interroget: Quo in numero conticuiſti, ſi ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progredere rurſus, quoad videbitur Quid plura? Hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum reſpondere poſſe.

Simile eſt illud Horatii l. 2. epiſt. 1. ubi queritur de moribus ſæculi ſui, Poetas non merito, ſed vetuſtate æſtimantis. Ait enim, nullos eſſe certos vetuſtatis fines, quibus judicia hæc circumſcribantur, temere ac per invidiam fuſa.

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos vetereſque referri debet, an inter
Viles atque novos? Excludat jurgia finis.
Eſt vetus atque probus, centum qui conficit annos.
Quid? Qui deperiit minor uno menſe, vel anno,
Inter quos referendus erit? vetereſne Poetas,
An quos & præſens, & poſtera reſpuet ætas?
Iſte quidem veteres inter referetur honeſte,
Qui vel menſe brevi, vel toto eſt junior anno.
Utor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paullatim vello, demo unum, demo & item
unum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad faſtos, & virtutem æſtimat annis.

Quod autem pilis caudæ equinæ utitur ad explicandum Soritem, ex eo petitum eſt, quod Sertorius fecit, cum juſſit, quemdam ex ſuis militibus caudam equinam uno impetu vellere, alterum vero paullatim depilare. Quam rem totam dabimus, cum erit nobis de Inductionis fallaciis diſputandum.

Hoc

Hoc ipſum monet me, ut ad Soritem revocem modum illum concludendi, quem Græci dicunt *φαλακρόν*, ideſt *calvum*, de quo Diogenes Laertius in vita Eubulidis. Menagius vir admodum eruditus, & omnium Diogenis Interpretum longe princeps, fatetur, ſe non noſſe, quod genus fallaciæ ſit hoc, & unde dicatur. *Fortaſſe*, inquit, *ab hoc exemplo: Qui non habet pilos in capite, calvus eſt; raſus non habet pilos in capite; ergo raſus calvus eſt.* Ad Laert. p. 123. Ego vero neminem Dialecticum fuiſſe puto poſteritatis memoria dignum, qui tam frigida cavillatione uſus ſit. Vix pueri Dialecticas Inſtitutiones attigerunt, cum talia contemnunt. Boni, quæſo, conſule, doctiſſime Menagi. *Calvus* eſt acervalis argumentatio, per quam efficitur, non eſſe *calvum*, qui *calvus* eſt; aut eſſe jam *calvum*, qui nondum eſt; quod certo definiri nequeat, quot numero pili calvitium conſtituant. Non temere hoc dico: ſed præeuntem Themiſtium ſequor, qui ad ſeptimum Phyſicum Ariſtotelis, cap. 5. *Jam*, inquit, *hoc loco ſe ſe offert, caputque exerit acervalis illa cavillatio, quam Soritem appellant, qualis ex acceſſu teruntii in cumulo divitiarum, & in finitione calvitii ſolet afferri.* Totus porro ille Ariſtotelis locus cognoſcendus eſt decernere volenti, quibus gradibus vires & pondera ſocietate multiplicentur; & in quo tandem conſiſtat arcanum illud caudæ equinæ, cujus partes modo valent, modo non valent ad reſiſtendum. Omnia ſcilicet per *δύναμιν* & *ἐνέργειαν*, *poteſtatem & actum*. Quid enim potius?

Sed quædam tamen ſunt, quæ cum acervum fecere, neſcio quid virium ac virtutis ex ipſa conjunctione capiunt; quod certe nequit per Ariſtotelicam *δύναμιν* & *ἐνέργειαν* explicari. Quid enim dicam ineſſe judicio ruſticæ plebeculæ, quæ cum in unum locum convenit ad Oratorem audiendum, eum terret? Cur ſinguli contemnuntur, univerſi contemni non poſſunt? Scilicet cum convenere, concionem faciunt; ſinguli concionem

runt enim, niſi cavetis. Cautum eſt, inquit Lucullus. Placet enim Chryſippo, cum gradatim interrogetur, verbi gratia tria pauca ſint, an multa, aliquanto prius, quam ad multa perveniat, quieſcere, ideſt quod ab iis dicitur, ἡσυχάζειν. Per me vel ſtertas licet, inquit Carneades; non modo quieſcas. Sed quid proficit? Sequitur enim, qui te ex ſomno excitet, & eodem modo interroget: Quo in numero conticuiſti, ſi ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progredere rurſus, quoad videbitur Quid plura? Hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum reſpoadere poſſe.

Simile eſt illud Horatii l. 2. epiſt. 1. ubi queritur de moribus ſæculi ſui, Poetas non merito, ſed vetuſtate æſtimantis. Ait enim, nullos eſſe certos vetuſtatis fines, quibus judicia hæc circumſcribantur, temere ac per invidiam fuſa.

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos vetereſque referri debet, an inter
Viles atque novos? Excludat jurgia finis.
Eſt vetus atque probus, centum qui conficit annos.
Quid? Qui deperiit minor uno menſe, vel anno,
Inter quos referendus erit? vetereſne Poetas,
An quos & præſens, & poſtera reſpuet ætas?
Iſte quidem veteres inter referetur honeſte,
Qui vel menſe brevi, vel toto eſt junior anno.
Utor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paullatim vello, demo unum, demo & item unum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad faſtos, & virtutem æſtimat annis.

Quod autem pilis caudæ equinæ utitur ad explicandum Soritem, ex eo petitum eſt, quod Sertorius fecit, cum juſſit, quemdam ex ſuis militibus caudam equinam uno impetu vellere, alterum vero paullatim depilare. Quam rem totam dabimus, cum erit nobis de Inductionis fallaciis diſputandum.

Hoc

Hoc ipſum monet me, ut ad Soritem revocem modum illum concludendi , quem Græci dicunt φαλακρόν, ideſt *calvum*, de quo Diogenes Laertius in vita Eubulidis . Menagius vir admodum eruditus, & omnium Diogenis Interpretum longe princeps , fatetur, ſe non noſſe , quod genus fallaciæ ſit hoc , & unde dicatur. *Fortaſſe* , inquit , *ab hoc exemplo: Qui non habet pilos in capite, calvus eſt ; raſus non habet pilos in capite ; ergo raſus calvus eſt*. Ego vero neminem Dialecticum fuiſſe puto poſteritatis memoria dignum , qui tam frigida cavillatione uſus ſit. Vix pueri Dialecticas Inſtitutiones attigerunt , cum talia contemnunt. Boni, quæſo, conſule, doctiſſime Menagi. *Calvus* eſt acervalis argumentatio , per quam efficitur, non eſſe *calvum*, qui *calvus* eſt; aut eſſe jam *calvum* , qui nondum eſt; quod certo definiri nequeat, quot numero pili calvitium conſtituant. Non temere hoc dico : ſed præeuntem Themiſtium ſequor, qui ad ſeptimum Phyſicum Ariſtotelis, cap. 5. *Jam*, inquit, *hoc loco ſe ſe offert, caputque exerit acervalis illa cavillatio , quam Soritem appellant , qualis ex acceſſu teruntii in cumulo divitiarum , & in finitione calvitii ſolet afferri* . Totus porro ille Ariſtotelis locus cognoſcendus eſt decernere volenti, quibus gradibus vires & pondera ſocietate multiplicentur ; & in quo tandem conſiſtat arcanum illud caudæ equinæ, cujus partes modo valent, modo non valent ad reſiſtendum. Omnia ſcilicet per δύναμιν & ἐνέργειαν, *poteſtatem & actum*. Quid enim potius?

Ad Laert. p. 123.

Sed quædam tamen ſunt , quæ cum acervum fecere, neſcio quid virium ac virtutis ex ipſa conjunctione capiunt ; quod certe nequit per Ariſtotelicam δύναμιν & ἐνέργειαν explicari. Quid enim dicam ineſſe judicio ruſticæ plebeculæ , quæ cum in unum locum convenit ad Oratorem audiendum , eum terret ? Cur ſinguli contemnuntur , univerſi contemni non poſſunt? Scilicet cum convenere , concionem faciunt ; ſinguli concionem

non faciunt. Eſt aliquid in hoc toto, quod a cujuſque natura ſentitur; quid ſit, non cognoſcitur. Itaque nihil ab *enexplicabili* differt argumentatio illa apud Ælianum de varia hiſtor. l. 2. c. 1. qua Socrates dicitur excitaſſe Alcibiadem, qui popularium concionum judicia nimis verebatur. *Quæſo* (inquit, homuncionem oſtendens e media turba) *annon ſutorem illum contemnis?* Annuit Alcibiades. *Quid? nonne & illum?* oſtenditque ejuſdem ſellulæ cerdonem, atque alios deinceps. Cum adoleſcens fateretur: *Age*, inquit Socrates, *hi ſunt, ex quibus conſtat populus Athenienſis. Quare ſi ſingulos contemnis, non debes univerſos reformidare.* Satis ingenioſe ad diſputandum; non ſatis vere ad vincendum naturæ ſenſum: quamvis & a Cicerone probetur in Tuſcul. 5. c. 36. *An quidquam ſtultius, quam quos ſingulos ſicut operarios barbaroſque contemnas, eos eſſe aliquid putare univerſos?*

Verum de Sorite *inexplicabili* hactenus ſatis. Alius eſt, ut initio dixi, qui inter idoneas argumentationes refertur, & facile ſolvitur, ſiquando fallat. Eſt autem acervus quidam enunciationum, in quo attributum primæ ſit ſubjectum ſecundæ, attributum ſecundæ ſit ſubjectum tertiæ, atque ita deinceps, donec tandem in complexione ultimæ attributum cum primæ ſubjecto conjungatur. Gradatio hæc, quæ nihil differt a ſimplici ſyllogiſmo, eo ſpectat ut tota vis argumenti, quod aſſumitur ad concilianda quæſtionis extrema, dilucide appareat. Hujuſmodi eſt Sorites, quem in exemplum perfectiſſimæ demonſtrationis affert Leibnitius ad Marii Nizolii lib. 4. cap. 3. de veris princip. *Quodlibet corpus eſt in ſpatio; quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quod poteſt eſſe in alio ſpatio, poteſt mutare ſpatium; quod poteſt mutare ſpatium, eſt mobile: ergo quodlibet corpus eſt mobile:* Qui ita diſputat, idem facit, ac ſi diceret: Unum eſt in duobus; duo ſunt in tribus; tria ſunt in quatuor; quatuor ſunt in quinque: ergo unum eſt in quinque.

Eſ-

Effertur porro Sorites hic, non ſecus ac prior, etiam per interrogationem. Exemplum peti poteſt a Plutarcho de anim. tranquill. ubi cum Stilponi, lætiſſime viventi, filiæ impudicitiam objeciſſet Metrocles, *Hoccine igitur* (inquit Stilpo) *meum peccatum eſt, an filiæ?* Cui cum ille reſpondiſſet, eſſe peccatum filiæ, ſed infortunium patris, tum Stilpo ita interrogavit: *Qui fieri hoc poteſt? Nonne peccata ſunt lapſus quidam?* Aſſenſit Metrocles. *At lapſus nonne ſunt aberrationes eorum, quorum ſunt lapſus? Omnino*, inquit ille. *Quid aberrationes? Nonne eorum ſunt infortunia, quorum ſunt aberrationes?* Quo quidem Cynicus belle incluſus, & ad ſilentium compulſus eſt.

Præterea quemadmodum Sorites Chryſippeus texitur ac retexitur, ita hic quoque retro commeat & reciprocatur. Exemplum nobis ſuppeditat Lactantius de falſ. relig. c. 16. ubi Gentium Dii in mares ac fæminas diviſi impugnantur his fere verbis: *Si duo ſunt ſexus Deorum, ſequitur concubitus: ſi coeunt, & domos habent, ne in propatulo faciant: ſi domos habent, conſequens eſt, ut & urbes habeant: ſi urbes habent, & agros igitur habent; eoſque arant & colunt, quod ſit victus cauſſa: ergo mortales ſunt; ideoque Dii non ſunt. Quod ſi agros non habeant, ne urbes quidem: ſi urbes non habent, ne domos quidem: ſi domibus carent, ergo & concubitu: ſi concubitus ab iis abeſt, & ſexus igitur fœmineus: ergo fœminæ in Diis non ſunt: ergo omnino Dii non ſunt.*

Ad genus hoc reciprocum accedere videtur aliud, quod mixtum appellari poteſt. Eſt autem ejuſmodi, ut aliter explicari nequeat, quam per exemplum. Sumam ab Arceſila. Tollebat Philoſophus hic, cum diſputaret adverſus Stoicos, comprehenſibilia & comprehenſionem: ex quo effici volebat, ut ſcientia quoque periret; & ſapiens in rebus omnibus aſſenſum ſuſtineret. Non eſt hujus loci doctrinam hanc totam, ſubtiliſſimis involutam rationibus, aperire. Quod attinet

ad rem præſentem, ejus hæc erat argumentatio: *Nulla eſt comprehenſio: ergo nullus eſt, qui comprehendat. Si nullus eſt, qui comprehendat, nihil eſt, quod comprehendatur: ſi nihil eſt, quod comprehendatur, quoties ſapiens aſſentitur, aſſentitur rei, quam non comprehendit: ſi aſſentitur rei, quam non comprehendit, opinatur: eſt igitur ſapiens inter eos, qui opinantur. Atqui inter eos, qui opinantur, non debet eſſe ſapiens ex doctrina Stoicorum: nulli igitur rei ſapiens aſſentitur. Sed qui nulli rei aſſentitur, ſemper aſſenſum ſuſtinet: ergo ſapiens ſemper aſſenſum ſuſtinet.* Ita colligi videtur ex Cicerone, & Empirico, qui nobis quaſi filum præbuerunt, ut in hæc Arceſilæ adyta ingrederemur.

Univerſe autem ut modus hic argumentationis ſive ſimplex, ſive reciprocus, ſive mixtus, recte procedat, firmiterque concludat, ante oculos habere oportet, quod docet Ariſtoteles initio c. 3. Categor. Ὅταν ἕτερον καθ' ἑτέρου κατηγορῆται, ὡς καθ' ὑποκειμένου, ὅσα κατὰ τοῦ κατηγορουμένου λέγεται, τοσαῦτα καὶ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου ῥηθήσεται. *Cum alterum alteri tribuitur tamquam ſubjecto, quot ſunt ea, quæ de attributo dicuntur, totidem etiam de ſubjecto dicentur.* Hoc tamquam fundamento nititur Sorites. Itaque cum dico, *Juſtitia eſt virtus*, quidquid virtuti convenit, juſtitiæ quoque convenire debet; ac proinde ita diſputari poteſt: *Juſtitia eſt virtus; virtus eſt habitus bonus; habitus bonus mediocritate regitur, ergo Juſtitia mediocritate regitur.* Sed quia in gradationem hanc, præſertim ſi ſit longior, facile irrepunt vitia & captiones, quæ nexum latenter infringunt, & concluſionem impediunt, iccirco quædam monere volumus partim omnibus argumentationibus communia, partim noſtræ hujus propria.

Et primum quidem cavere oportet, ne ullum ſit verbum ambiguum. Ambiguitas enim geminat vocis ſignificationem, & ex uno duo facit, quæ ſibi inter ſe non cohærent. Hinc ſerie intercisa, recte deſcendi ad concludendum nequit. Hac in

par-

parte deficiebat Gorgiæ Leontini Sorites, quo conabatur oſtendere, quod eſt æternum, omnino non eſſe, ut refert Sex. Empiricus adverſ. Logic. lib. 1. n. 69. *Quod eſt æternum, caret principio; quod caret principio, eſt infinitum; quod eſt infinitum, nuſquam eſt; quod nuſquam eſt, omnino non eſt; ergo quod æternum eſt, omnino non eſt.* Porro infinitum nuſquam eſſe, ex eo probabat; quia ſi alicubi eſſet, in loco eſſet, eoque contineretur, quod autem continetur in alio, eſt anguſtius illo, ideoque infinitum eſſe non poteſt. Scilicet non vidit, aut videre noluit ambiguam *infiniti* ſignificationem; quæ vox primum quidem refertur ad ea, quæ ſempiterna ſucceſſione conſtant, cujuſmodi eſt tempus & motus apud veteres Philoſophos; deinde vero ad magnitudinem nullis terminis circumſcriptam. Si idem valeret, ſemper eſſe, & ubique eſſe, aut ex ancipiti argumentum duci poſſet, Gorgias dixiſſet aliquid. Non urgemus hæc pluribus, quippe ſatis nota in ſcholis Peripateticis ex iis, quæ Ariſtoteles diſputat adverſus Xenophanem, Anaxagoram, Anaximandrum, & alios infiniti patronos, qui in hac ambiguitate ludebant.

Interdum autem fit, ut non unum aut alterum verbum, ſed tota enunciatio ambigua ſit, incerta, & minus vera: ex quo videtis, quid ſequatur. Hujus generis erat Sorites, quo Diophantus Themiſtoclis filius dictitabat, quæ ſibi probarentur, probari Athenienſibus omnibus, ut eſt apud Plutarchum de pueror. inſtitut. *Quod placet mihi, placet matri meæ: quod placet matri meæ, placet Themiſtocli: quod placet Themiſtocli, placet omnibus Athenienſibus: ergo quod placet mihi, placet omnibus Athenienſibus.* Quaſi vero & ipſe apud matrem, & mater apud Themiſtoclem, & Themiſtocles apud cives ſuos revera tantum poſſent, quantum vellent. In hanc eamdem regulam peccat Stoicorum concluſio, quæ reprehenditur a Cicerone lib. 4. de Fin. c. 18. *Quod bonum ſit, id*

eſſe optabile; quod optabile, id eſſe expetendum; quod expetendum, laudabile, igitur quod bonum ſit, id eſſe laudabile. Negat enim Ariſtoteles & Xenocrates, quod eſt bonum & optabile, idem eſſe laudabile, niſi ſit cum virtute conjunctum: quia laus ſoli virtuti debetur; in bonis autem & optabilibus non ſola eſt virtus.

Hinc colligere poteſtis, quo vitio laboret Sorites Chryſippeus, & quare ſit fallax. Scilicet multa, pauca, uno verbo relata omnia, ſunt ambigua; & aliter alio tempore, aliiſque comparata ſignificant: quo fit, ut certis finibus abſolutiſque eorum gradus comprehendi non poſſint.

Deinde in eo ſumma cautio atque proviſio adhibenda eſt, ut inter enunciationes ajentes nulla ſit negans. Siqua enim hujuſmodi inferatur, reliquarum nexum & conjunctionem abrumpet. Itaque nihil efficit, qui ita diſputat: *Virtus eſt habitus; habitus eſt qualitas; qualitas non eſt ſubſtantia; ſubſtantia per ſe conſtat; ergo virtus per ſe conſtat*. Vitium eſt in enunciatione tertia.

Attamen quæ proxime antecedit concluſionem, poteſt eſſe negans, modo ipſa quoque concluſio negans ſit: cujus exemplum habemus, quamvis non ita clare expreſſum, apud Ciceronem de Offic. l. 3. c. 6. *Si hominis eſt hominem juvare, omnium utilitas eſt communis: ſi omnium utilitas eſt communis, una continemur omnes lege naturæ: ſi una continemur omnes lege naturæ, alter alterum violare non debet: ergo homo hominem violare non debet*.

Non inficior, Soritem interdum fieri ex omnibus negantibus poſſe, ſi a ſummis generibus deſcendatur ad ima: veluti ſi dicam: *Quod non eſt ſubſtantia, neque corpus, neque ſpiritus eſt; quod neque corpus, neque ſpiritus eſt, vivens non eſt; quod vivens non eſt, animal non eſt; quod animal non eſt, homo eſſe non poteſt*. Hic tamen ſtudio omni fallacias cavere oportet: nam quæ negant, facilius fallunt.

Jam vero illud quoque cognoſcere neceſſe eſt, num

num ea, quæ in Soritem conferuntur, ex ſe apta ſint, & per gradus recte congruentes ad concluſionem ducantur. In quo celebris eſt locus apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deor. c. 32. ubi Cotta reprehendit ſoritem Velleji, quo volebat oſtendere, Deos hominum ſimiles eſſe, hoc ferme pacto: *Dii beati ſunt: nemo beatus eſt ſine virtute: virtus eſſe non poteſt ſine ratione: ratio non eſt niſi in hominis figura: ergo Dii humana figura conſtant.* Audiamus Cottam ipſum iſtius argumentationis vitium detegentem. *Beatos eſſe Deos ſumpſiſti. Concedimus. Beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe. Id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem ſine ratione conſtare non poſſe. Conveniat id quoque neceſſe eſt. Adjungis, nec rationem eſſe, niſi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita eſſet, quid opus erat, te gradatim iſthuc pervenire? Sumpſiſſes tuo jure. Quid autem eſt iſthuc gradatim? Nam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te veniſſe gradibus. A ratione ad humanam figuram quomodo accedis? Præcipitare iſtud quidem eſt, non deſcendere.*

Hic vero ſperare juvat, Tullianos homines non moleſte laturos, me membrum illud, *ſumpſiſſes tuo jure*, loco moviſſe, & eo reſtituiſſe, ubi non dubito quin fuerit a Cicerone collocatum; quamvis poſtea neſcio quo pacto demigrarit.

Ejuſdem rationis eſt illud Academicorum contendentium, inter vera viſa & falſa nihil eſſe diſcriminis, quia falſa multa probabilia ſint, atque adeo ſimilia veri, ut vix, aut ne vix quidem internoſci poſſint. Quod quidem eodem modo ſolvitur a Lucullo apud Ciceronem l. 4. Academ. quæſt. c. 16. *Vitioſum ſane & captioſum genus. Sic enim aſcenditis. Si tale viſum objectum eſt a Deo dormienti, ut probabile ſit, cur non etiam ut valde veriſimile? Cur deinde non ut difficiliter a vero internoſcatur? Deinde ut ne internoſcatur quidem? Poſtremo ut nihil inter hoc, & illud interſit? Huc ſi perveneris, me tibi primum quodque concedente, meum*

um vitium fuerit. Sin ipſe tua ſponte proceſſeris; tuum. Ipſi per vos intelligitis, qua in parte deficiat conſectarium hoc. Neque enim, ſiquid eſt alteri ſimile, continuo ſequitur, ut ſit idem.

Poſtremum, quod monemus, ex ipſo Peripateticorum ſinu, hoc eſt ex *Prioribus Analyticis* ſumimus. Eſt autem, ne ulla ſit enunciatio particularis, niſi forte prima. Etenim cujuslibet ſubjectum ſumitur tamquam medium, ut ſcholæ vocant, peculiaris ſyllogiſmi. Satis autem manifeſtum eſt, ſyllogiſmum fore ineptum, qui medio nitatur particulari. Ad hæc, ſorites reſolvitur in tot ſyllogiſmos primæ figuræ, quot ſunt enunciationes inter primam & ultimam, quarum quælibet propoſitionis locum tenet. In prima autem figura propoſitio ſemper debet eſſe univerſalis, quod in arte hac noſtra tritum eſt, atque omnibus notum. Porro dixi *niſi forte prima*: quia cum Sorites reſolvitur in ſyllogiſmos, enunciatio ejus prima aſſumptionis loco ponitur; neque repugnat, aſſumptionem eſſe particularem, modo ajat. Subtilia ſunt hæc; neque inſeri animis poſſunt, niſi per induſtriam privatæ ſcholæ, in qua & ſchemata ob oculos ponuntur, & ſæpius iterantur, & interrogando ac reſpondendo planiſſima fiunt. Utcumque ſe habeant, præteriri non debent, quia ſunt neceſſaria ad roborandam adverſus cavillationes Philoſophiam.

Quoniam vero in has ſalebras venimus, pergamus ex arte, & quam ſuſcepimus perſonam, naviter ſuſtineamus. Reſolvitur Sorites, ut modo dicebam, in tot ſyllogiſmos primæ figuræ, quot ſunt media aſſumpta ad probandum in enunciationibus, quæ præcedunt concluſionem. Itaque ille, quem initio hujus partis memoravimus ex Leibnitio, tres continet ſyllogiſmos; quorum media ſunt *eſſe in ſpatio, poſſe eſſe in alio ſpatio, mutare ſpatium*. Ducitur autem initium ab enunciatione ſecunda, cui ſubjicitur prima, hoc modo: *Quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quodlibet corpus*

eſt

eſt in ſpatio ; ergo quodlibet corpus poteſt eſſe in alio ſpatio. Tum incipitur a tertia: *Quod poteſt eſſe in alio ſpatio, poteſt mutare ſpatium; quodlibet corpus poteſt eſſe in alio ſpatio; ergo quodlibet corpus poteſt mutare ſpatium*. Poſtea incipitur a quarta: *Quod poteſt mutare ſpatium, eſt mobile; quodlibet corpus poteſt mutare ſpatium; ergo quodlibet corpus eſt mobile*.

Alii aliter retexunt. Conſtruunt enim primum ſyllogiſmum ex complexione, & enunciatione, quæ proxime antecedit: reliquos vero, qui ex aliis enunciationibus fiunt, appellant Proſyllogiſmos; quibus utitur diſputator ad probandam aſſumptionem principis ſyllogiſmi. Eodem incidunt.

Hæc placuit ad vivum reſecare, ut perſpicue appareret, in quo vis ſita ſit argumentationis hujus; & quomodo refelli poſſit, cum captioſe effertur: ne quis ſibi perſuadeat, cum audit, Soritas *inexplicabiles* eſſe, genus eſſe unum latens in artificio Sophiſtarum, cujus nulla ſit expediendi ratio. Proxima ſchola de *Pſeudomeno*, quod eſt alterum *inexplicabile*, non minore diligentia diſputabimus. Adeſte frequentes ac benevoli, ſiquid a nobis conferri judicatis ad res tam difficiles illuſtrandas.

DE

DE
PSEUDOMENO
ACROASIS III.
HABITA
MENſE NOVEMBRI MDCCXXVI.

NON dubito, pleroſque veſtrum promiſſi mei expectatione commotos in hunc locum veniſſe, ut de *Pſeudomeno*, quod eſt alterum inexplicabile, aliquid audiant; flagitaturos acerbe, ſi hanc argumentandi formam, quæ mihi certe multo difficilior in ipſa tractatione viſa eſt, quam initio putabam, in ſuis tenebris ac ſilentio relinquere velim. Quamquam, quod fieri in publici muneris promiſſione Cicero ſcribit, ut ne populus quidem niſi concitatus flagitet, id multo magis in litteris uſuvenit, in quibus nondum fortaſſe repertus eſt, qui tantum præſtiterit, quantum promiſit. Ita facti comparatique ſumus, quicumque litterarum ſtudiis operam damus (quod nolim quiſpiam de ſe dictum putet) ſed certe ita facti comparatique ſumus, ut multa identidem polliceamur, atque adeo parata jactemus; ſubmittamus, qui ſe vidiſſe dicant, & rumores in vulgus ſpargant; cum librariis & glutinatoridus impenſarum rationem ineamus; principes viros fatigemus, ut ſibi dicari patiantur; totum denique orbem moliminis admiratione ſuſpenſum per inania lactemus. Interim, ut ſunt humana omnia, res in oblivionem abit; & fruimur fama ſine experimento comparata. Quotus enim quiſque in talia inquirit? Quis eſt unus ingenii tam difficilis, ut fidem publice datam ſibi in-

Fami. l. 9. ep. 8.

inter omnes exſolvi curet? Alii ignorant, alii credunt, alii diſſimulant; annus vertitur, ſatis eſt. Hæc ego cum reputarem quotidianis exemplis explorata, ea ſchola, quæ *Soritæ* explicationem conſecuta eſt, nonnulla de *Pſeudomeno* dedi, & ea quidem ejuſmodi, ut auribus hominum non indigna judicarem, ſed oculorum judicio, pro ea, quæ nunc eſt, reprehendendi libidine, committere non auderem. Excurrit ſpatium illud, & more vacavimus. Sed jam mihi ſtudia repetenti redit in mentem pollicitatio. Et quamvis conatum omnem adhibuerim, ut animum ab hac cogitatione averterem; ipſe me tamen vincere nequivi, ut fidem fallerem in concione obſtrictam: quæ fides profecto ſi a litterarum provincia repellitur, quid eſt reliquum niſi ut apud barbaros ſedem quærat & domicilium, in quo conſiſtat? Quocumque igitur res cadat, rurſus de *Pſeudomeno* dicere aggredior, ſtatim emiſſurus, quæ dixero, ſpinoſa illa quidem, & pro ſæculi more nimis arida, ſed tamen ex ipſis diſciplinæ noſtræ viſceribus ducta, & cum illis, quæ de *Sorite* diſputavi, valde conjuncta. Video futuros eſſe aliquos, qui hanc ariditatem nobis objiciant; quorum maledicta vitare numquam poterimus, niſi, quod tacite poſcunt, nihil omnino ſcribamus. Nam Orationes cum haberemus, & pro illo popularis facultatis ingenio ubertatem & copiam ſequeremur, iſti ipſi, quaſi nimia redundantia obruti, jejunitatem & famem a nobis requirebant. In quo ſane illud ſignificabant, quod ipſi quoque Ciceroni contigit (ut eſt in proœmio ſecundæ Tuſculanæ) ſe nihil probare velle, quod æmulari non poſſent. Quod igitur tunc adjutore populo fecimus, ut paucorum convicia ex abdito in nos jacta contemneremus, idem nunc multo alacrius publico judicio muniti faciemus, illud reputantes, ſatis ſuperque laudis Logico eſſe, ſi non omnibus liberaliter eruditis hac tempeſtate diſpliceat. Sed jam pro conſuetudine noſtra agamus quod inſtat.

Pſeudomenon, ſi Laertio credimus, Eubulides invenit, patria Mileſius, Euclidis Dialectici diſcipulus, & quod ad ejus laudem in primis facit, Demoſthenis Oratoris magiſter. Cicero de Divinat. l. 2. c. 4. Græcam hanc vocem interpretatur *Mentientem*, nomine ducto a materia, ex qua fieri ſolebat iſtiuſmodi fallacia. Formula interrogationis eſt apud Gellium lib. 18. c. 2. *Cum mentior, & mentiri me dico, mentior, an verum dico?* Nullus eſt nodus in vulgari Dialectica, qui paucioribus egeat. Nam ſi quis ita rogetur ex turba iſta, procul dubio reſpondebit: *Cum mentiris, & mentiri te dicis, mentiris, & verum dicis.* Etenim qui mentitur, mentitur; idem tamen, cum dicit ſe mentiri, in hoc non mentitur. At ſi nihilo plus dicunt, non video, cur tam multi de *Mentiente* libri ſcripti fuerint, ut auctor eſt Seneca epiſt. 45. Ita ne vero tam levem captiunculam Chryſippus inexplicabilem vocat, & cum *Sorite* conjungit, tamquam cum Scylya Charybdim? Cur non poterat ipſe quoque notiſſimis formulis rem expedire? Miſeret me Philetæ illius Coi, qui ob nimium in re tantula ſtudium tabo correptus, fatis ceſſit. Quod certe non crederem, niſi & Heſychius traderet, & Athenæus in Dypnoſoph. l. 9. c. 14. inſculptum ejus monumento epigramma referret.

Ξεῖνε, Φιλητᾶς εἰμι. λόγων ὁ ψευδόμενός με
ὤλεσε, καὶ νυκτῶν φροντίδες ἑσπέριοι.

Hoc eſt

Hoſpes, Philetas ſum. Perdidit me pſeudomenos,
Et nocturnum ſtudium ejus cauſſa ſuſceptum.

Hæc qui ſerio cogitare voluerit, facile ſibi perſuadebit, *Summuliſtas* noſtros (ſic enim ipſi ſe appellant) minime intelligere, quid ſibi velit *Pſeudomenos*, unde oriatur, aut quo ſpectet. Neque vero aliquid in illo eſt arcani, quo homines iſti tam acuti penetrare non poſſint, cum ego tam tardus verborum indagator mihi potuiſſe videar;

ſed

ſed in hac ignoratione verſantur, quia Ciceronem, qui iſta unus ferme explicat, vel contemnunt tamquam Grammaticum, vel non intelligunt, quod latine loquatur. Tota igitur *Pſeudomeni* difficultas, ut ex ejus libro de Fato, & ex Academica quarta colligitur, in eo poſita erat, quod veteres Dialectici ex ſchola Euclidis, atque adeo etiam novi ex Zenonis Cittieji diſciplina, ratum decretumque haberent, pronunciatum omne aut verum eſſe, aut falſum; nihilque admitterent, quod eſſet ἀδιάφορον, & in partem utramque verti poſſet. Nam *ſi aliquid* (ajebant) *in loquendo nec verum, nec falſum eſt, certe id verum non eſt: quod autem verum non eſt, qui poteſt non falſum eſſe? aut quod falſum non eſt, qui poteſt non eſſe verum*? Contra Academici, ut totum hoc Dialecticæ fundamentum convellerent, ex formula interrogantes, quam paullo ante recitavi, quædam enunciata colligebant, quæ nec accipi poſſent tamquam vera, nec rejici tamquam falſa. Hujuſmodi erat iſtud; *Si te mentiri dicis, vereque dicis te mentiri, verum dicis*. Siquis enim, quod ita eſſet pronunciatum, verum dixiſſet, ita repellebatur: Si dicis nunc lucere, verumque dicis, lucet; ergo ſi dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris. Quo modo verum eſt unum, alterum quoque debet eſſe verum. Ex primo enim fit hæc concluſio: ſi lucet, lucet; lucet autem; lucet igitur. Ex altero fit illa: ſi mentiris, mentiris; mentiris autem; mentiris igitur. Ipſa ratio connexi cum conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere; & ſi vis concluſionis valet, in utroque valet. Quod ſi Dialecticus ex hac parte dejectus, in alteram migraſſet, ſuumque illud enunciatum falſum dixiſſet, ſtatim Carneades locum ab illo deſertum occupabat, & connexo æque firmo defendebat, ita ferme: Si quis ſe mentiri dicit, cum revera mentiatur, verum dicit; tu autem te mentiri dicis, cum revera mentiaris; verum igitur dicis. Aut omnis tollenda erat con-

cludendi ars, aut quod ita concluſum eſſet; concedendum. Quapropter ad incitas redacti Dialectici, nihil affirmare in re tam ancipiti pronunciare audebant; ſed poſtulabant, ut hæc exciperentur tamquam inexplicabilia. Accipite ipſa Ciceronis verba, quæ ſunt in Academ. 4. c. 29. *Nempe fundamentum Dialecticæ eſt, quidquid enuncietur, aut verum eſſe, aut falſum. Quid igitur? Hæc vera, an falſa ſunt?* Si te mentiri dicis, idque verum dicis, te mentiri; verum dicis. *Hæc ſcilicet inexplicabilia eſſe dicitis: quod eſt odioſius, quam illa, quæ nos incomprehenſa, & non percepta dicimus. Sed hæc omitto; illud quæro; ſi iſta explicari non poſſunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut reſpondere poſſitis, vera ne, an falſa ſint, ubi eſt illa definitio, effatum eſt id, quod aut verum, aut falſum ſit?* Ecce vobis, Auditores, quidquid momenti in *Pſeudomeno* eſt, in quo magnum præſidium Academici ponebant diſciplinæ ſuæ. Nam uno convulſo, nulla ratio eſſe videbatur, cur ſtarent effata reliqua.

Siquis a nobis petat, ex his anguſtiis qua ratione poſſit evadere, reſpondemus, dialecticam verborum formam a rerum materia ſeparandam eſſe. Nam hæc quidem ingenio non hebeti ſtatim ſe manifeſtat; illa inexplicabilis eſt. Itaque ad eam diſſerendi legem, per quam vetabatur, ex dialecticis repagulis exire, id quoque additum erat, ut ſcribit Gellius l. 16. c. 2. *non eſſe hujuſmodi interrogationibus reſpondendum*. D. Hieronymus per hæc aliquando tentatus, clavum clavo truſit: quod eſt laudabilius, quam ſilere & excipere. Contendebat videlicet, Epiſcopum Carterium unius uxoris virum dici debere, quamvis præter illam, quacum vivebat, aliam habuiſſet ante baptiſmum. *Suſtinui*, inquit epiſt. 83. ad Oceanum, *Romæ a viro eloquentiſſimo cornutum, ut dicitur, ſyllogiſmum, ut quocumque me verterem ſtrictius tenerer. Uxorem, inquit, ducere peccatum eſt, an non? Ego ſimplex, & qui inſidias vitare neſci*-

ſci-

ſcirem, dixi non eſſe peccatum. Rurſum aliud propoſuit. In baptiſmate bona opera dimittuntur, an mala? Et in hoc eadem ſimplicitate reſpondi, peccata dimitti. Cum me ſecurum putarem, cœperunt mihi hinc inde cornua increſcere, & abſconditæ prius acies dilatari. Si, inquit, uxorem ducere non eſt peccatum, baptiſmus autem peccata dimittit, quidquid non dimittitur, reſervatur. Illico mihi, quaſi a fortiſſimo pugile percuſſus eſſem, ante oculos caligo obverſari cœpit; ſtatimque recordatus Chryſippei ſophiſmatis, ſi te mentiri dicis, idque vere dicis, mentiris, *& in memet reverſus, converti in adverſarium propoſitionis ſtropham. Quæſo, inquam, te ut reſpondeas. Baptiſmus hominem facit novum, an non? Vix dedit, quod novum faceret, gradatim intuli: ex toto novum facit, an ex parte? Reſpondit ex toto. Deinceps interrogavi: Nihil ergo veteris hominis in baptiſmate reſervatur? Movit caput. Cœpi protinus texere. Si baptiſmus novum hominem facit, & ex toto novum facit, nihilque in eo veteris hominis reſervatur, non poteſt novo imputari, quod in veteri quondam fuit*. Hæc D. Hieronymus, qui nobis anſam præbet *Pſeudomeni* longius dilatandi.

Hoc igitur nomine cavillationes illæ omnes ſignificari ſolent, ex quibus contrarium ſequitur. Quo in numero eſt modus quidam, qui *κυριεύων* a Græcis dicitur, a Latinis *Dominans*. Ejus vim & rationem magni quidam viri cum quærerent, *Dominantem* appellarunt fallaciam illam, qua uſus Diophantus contendebat, quæ ſibi probarentur, probari Athenienſibus omnibus. Sed totum illud argumentationis genus ad ſpeciem quamdam *Soritæ* pertinet, quam nos anno ſuperiore dedimus, & explicabilem eſſe oſtendimus. Aliis in mentem venit, appellationem ducere a Catonis Senioris dicto, quod eſt apud Plutarchum in Roman. Apophtegm. *πάντες ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμᾶς πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες. Omnes homines dominantur feminis, nos omnibus hominibus, nobis feminæ*. Ex quo effici videbatur,

Romanos dominari, & non dominari; ob eam ſcilicet cauſſam, quod nimia eſſet in civitate feminarum auctoritas; quam Cato cum ferre non poſſet, cavillando caſtigabat. Verum me aſſenſum ſuſtinere cogit Arrianus, qui ad Epitectum lib. 2. c. 19. ſcribit, *Dominantem* ortum eſſe ex diſputatione περὶ τῶν δυνατῶν; quamvis nec ſatis rem explicet, nec idoneam nominis cauſſam referat. Præterquamquod non tantæ ſunt in Catonis dicto præſtigiæ, ut & difficillimæ intelligentiæ ſophiſma dici debeat, quemadmodum *Dominans* dicitur a Plutarcho non ſemel; & ea litterarum monumenta capere poſſit, quæ a Philone & Heliodoro de *Dominante* relicta ſunt, ut narrat Themiſtius in Orat. 14. Sed erit nobis de re hac tota diſputandi locus in Acroaſi de *Ignava ratione*.

Hactenus de fallaciis, quæ ex eodem contrarium efficiunt. Proxime ſequuntur illæ, quæ contrarium efficiunt ex contrario: cujuſmodi genus Rhetores appellant ἀσύστατον, quaſi *ſtatum non conſiſtentem*. Exemplum dabit Lactantius libro Divin. Inſtit. 3. c. 6. *Somniavit quidam, ne ſomniis crederet. Si crediderit, tum ſequitur, ut credendum non ſit: ſi non crediderit, tunc ſequitur, ut credendum ſit*. Bene habet, quod aliæ non deſunt cauſſæ, dur ſomniis neganda ſit fides. Ceterum ipſa concluſio contorta & perplexa eſt; ſed eadem tamen ita otioſa, & frugis vacua, ut in gravi diſciplina contemni poſſit, niſi porro pergat, & in ipſas quoque ſacras litteras impetum faciat. Nam eodem modo ludunt in Epimenidis dicto apud D. Paullum epiſt. ad Tit. c. 1. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται; *Cretenſes ſemper mendaces*. Cum enim ipſe quoque Epimenides Cretenſis fuerit, ſequitur ipſum quoque fuiſſe mendacem; ac proinde falſum protuliſſe, cum dixit, Cretenſes mendaces eſſe. Ex quo efficitur, Cretenſes, ſi ſunt mendaces, non eſſe mendaces. Haud aliter illud, quod eſt in Pſalm. 115. *Omnis homo mendax*, in ipſum Davi-

dem

dem verti ſolet: *Si enim omnis homo mendax* (inquit D. Gregorius l. 22. Moral. c. 16) *ergo & tu; falſaque jam erit ſententia, quam mendax ipſe protuliſti. Si vero ipſe non es mendax, vera jam ſententia non erit.* Verum iſtiuſmodi pronunciata moralia ſunt, non naturalia & neceſſaria; ideoque etiam mendax interdum vera loquitur, quamvis plerumque falſa. Hoc modo *invidi*, ut ſcribit Cicero in Tuſcul. 4. c. 12. *& malevoli, & lividi, & timidi, & miſericordes dicuntur, quia proclives ad eas perturbationes, non quia ſemper feruntur.* Gregorius tamen aliter Prophetam defendit, quem putat divino afflatum ſpiritu ita pronunciaſſe. *Notandum*, inquit, *quod præmittitur*, Ego dixi in exceſſu mentis meæ. *In tantum igitur & ipſe mendax in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per exceſſum mentis ſuper hominem.*

Nunc ſi tam late vagatur *Pſeudomenos*, ut neque D. Paullo, neque Davidi parcat, nemini mirum videri debet, ſi ipſos quoque Juriſperitos implicare poteſt, & judicia turbare. Prodeat in medium Africanus, qui hæc habet leg. 88. Dig. ad leg. Falcid. *Qui quadringenta habebat, trecenta legavit; deinde fundum tibi dignum centum aureis ſub hac conditione legavit, ſi legi Falcidiæ in teſtamento ſuo locus non erit. Quæritur quid juris. Dixi ἐκ τῶν ἀπόρων hanc quæſtionem eſſe; qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur. Etenim quidquid conſtituerimus verum eſſe, falſum reperietur. Namque ſi legatum tibi datum valere dicamus, legi Falcidiæ locus erit; ideoque deficiente conditione, non debebitur. Rurſus ſi quia conditio deficiat, legatum valiturum non ſit, Legi Falcidiæ locus non erit; ideoque legatum debebitur.* Tulerat enim legem P. Falcidius ut hæres præter modum legatis oneratus ea minueret, ſibique partem quartam bonorum acciperet. Hinc Sophiſticæ technæ: quarum vitium cognoſcebat quidem Africanus, ſed quemadmodum præſtigiatorum ludibria cognoſcuntur, qui-

bus nos falli certo ſcimus, ac quomodo fallamur, explicare non poſſumus. Itaque omiſſa verborum controverſia, *Cum voluntatem*, inquit, *teſtatoris eam fuiſſe appareat, ut propter tuum legatum ceterorum legata minui nollet, magis eſt ut ſtatuere debeamus, tui legati conditionem defeciſſe*.

Ad hunc locum ſimile quippiam Cujacius movet. Querit enim, *utrum parendum ſit reſcripto Principis ſine ſubſcriptione, quo vetat, ne reſcriptis ſine ſubſcriptione pareatur*. Si reſpondes, parendum eſſe, ſequitur non eſſe parendum; quia damnat reſcripta ſine ſubſcriptione. Sin autem dicis, non eſſe parendum, jam pares; quandoquidem hoc ipſum eſt, quod imperat, ne pareatur. *Verum*, inquit idem, *rem explicat voluntas Principis, quæ eſt ut deinceps reſcriptis non pareatur ſine ſubſcriptione, atque ideo huic pareatur*.

Alciatus etiam ἀντίστρεφον ad *Pſeudomenon* revocat. Eſt autem ἀντίστρεφον adverſarii Dilemma, quod in ipſum rejicitur. Nam utrimque pariter valet, & ancipitem affert reſpondendi curam. Latini non inſcite *Reciprocum* dicunt. Omnium autem vulgatiſſimum eſt illud, quo uſum ferunt Evathlum adoleſcentem adverſus Protagoram magiſtrum ſuum, Sophiſtarum facile principem. Cum enim Evathlus decem millia cum eo pactus eſſet, dimidium hujus pecuniæ ſtatim dedit; reliquum vero ſe daturum promiſit, quo primum die cauſſam oraſſet ac viciſſet. Sed cum cauſſas numquam reciperet; idque facere videretur, ne reliquam mercedem magiſtro ſolveret, eum Protagoras in judicium rapuit. Cumque ante judices ſtetiſſet, litem conteſtaturus, Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, quicum tibi res ſit: Sive enim hodie contra te pronunciatum erit, ſive pro te, dabis quod peto. Nam ſi contra te, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: Sin autem pro te, debebitur ex pacto, quia tu viceris. Itaque aut in damnationem, aut in conditionem incides. Ad hæc Evathlus: Placet mihi, inquit,

vi-

victoriæ omen capere ex hoc ipſo argumento, in quo te vincam. Diſce igitur tu quoque, Magiſter optime, quicum tibi res ſit. Sive hodie contra me pronunciatum erit, ſive pro me, non dabo, quod petis. Nam ſi pro me, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin autem contra me, nihil tibi debebitur ex pacto, quia non vicero. *Tum judices* (inquit Gellius l. 5. c. 10.) *dubioſum hoc & inexplicabile eſſe, quod utrimque dicebatur, rati, ne ſententia ſua, utramcumque in partem dicta eſſet, ipſa ſe reſcinderet, rem injudicatam reliquerunt*. Suidas idem refert de Corace, & Tiſia ejus diſcipulo: aitque nihil aliud judices pronunciaſſe, niſi κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, ideſt *mali corvi malum ovum*: quod poſtea in proverbium abiit. Illud ſcilicet ſignificare voluerunt, ex malo præceptore malos prodire diſcipulos. Id ita verum eſt atque exploratum, ut inſani ac furioſi habendi ſint parentes illi, qui cum poſſint, optimos præceptores non deligunt ac probatiſſimos, quibus pignora committant ſua.

Aliam non diſſimilis notæ controverſiam ponit Gellius l. 9. c. 16. ſumptam ex Plinio ſecundo. *Vir fortis præmio, quod optaverit, donetur. Qui fortiter fecerat, petiit alterius uxorem in matrimonium, & accepit. Is deinde, cujus uxor fuerat, fortiter fecit. Repetit eamdem hoc argumento: ſi tibi placet lex, redde; ſi non placet, redde*. Nam ſi prior ille vir fortis legem probabat, reddere debebat uxorem poſteriori, qui fortiter fecerat. Si non probabat, reddere nihilominus debebat, quia ſine cauſſa abſtulerat. Animadvertit Gellius, repelli potuiſſe poſteriorem virum fortem reciproco dilemmate ita ferme: *Si tibi placet lex, non reddo; ſi non placet, non reddo. Nam ſi legem probas, jure quæſitam uxorem retineo; ſi non probas, non habes repetendi cauſſam*.

Sed ne ἀντιστρέφοντα omnia foro teneri videantur, ex his finibus exeamus; ſitque exempli loco dictum quoddam ſive Biantis, ut ſcribit Gellius, ſive

Bionis, ut Diogenes Laertius. Rogatus igitur hic, quicumque tandem fuerit, num præſtaret uxorem ducere, ita reſpondit: *Aut pulcram duces, aut deformem. Si pulcram, habebis communem; ſi deformem, habebis inviſam*: Dicam Græce: nam urbanitas multo maxima hujus ſententiæ in verbis eſt. *ἤτοι καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν. καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν· εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν*. Magnum ſane cælibis vitæ ſolatium. Sed ajunt, reſponſum hoc ita fuiſſe reciprocatum ab eo, qui rogaverat: *Uxor, quam ducere cogito, vel erit pulcra, vel deformis; ſi pulcra, non erit inviſa: ſi deformis, non erit communis. εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν. εἰ δὲ αἰσχρὰν, οὐχ ἕξω κοινήν*. Phavorinus vitium hujus argumenti in eo eſſe docet, quod tertium quiddam ſit inter duo hæc, quæ disjunguntur; cujus rationem, qui ita pugnabant, perſpectam non habuerunt. Nam inter pulcram feminam, & deformem media quædam forma eſt, quæ & a nimiæ pulcritudinis periculo, & a ſummæ deformitatis odio vacat. Formam hanc mediam Phavorinus non inepte appellat *uxoriam*; Ennius in Menalippæ Tragœdia dixit *ſtatam*. Scribit enim, eas fere feminas incolumem pudicitiam ſervare, quæ *ſtata* forma ſunt. Hinc habetis, non quodlibet reciprocum dilemma æque intercludere reſpondentem; ſed eſſe nonnulla, quæ medium quoddam inter cornua, ut ita dicam, effugium præbent.

Lucianus in *Sectarum Auct.* ad eamdem hanc inexplicabilium claſſem referre videtur fabulam Egyptiacam, quam ipſe κροκόδειλον vocat, Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. κροκοδείλινον λόγον, Quinctilianus lib. 1. Inſt. cap. 10. *Crocodilinam*. Eſt autem hujuſmodi. Fingitur mulier ad Nili ripam ablatum ſibi filium petere a Crocodilo, cui ille ſe redditurum promittit, ſi recte divinet, num redditurus ſit. Mulier igitur, *non mihi*, inquit, *reddes*. Tum ei Crocodilus: *Ut verum dicas, non reddam; neque reddere debeo, ſi dicis falſum, quia non pares conditioni*. At Mulier, ex contrario con-

ver-

vertens argumentum, reponit: *Si verum dixi, ex pacto reddere debes. Falſum autem me dixiſſe, evincere non potes, niſi reddas.* Doxipater Græcus Aphthonii enarrator docet, formam hanc argumentandi vocari a Græcis πρίωνα id eſt *ſerram*; quod eam diſputantes veluti *ſerram* inter ſe reciprocent.

Verum de *Pſeudomeno* plura dixi, quam volebam. Quamquam res eſt ejuſmodi, ut etiam qui nimium dicit, non omnia tamen dicat. Multæ undique incurrunt eruditiones ex vetuſta ſapientia, quæ ſi paucis verbis comprehendantur, obſcuræ ſunt, minimeque delectant; ſi late fuſeque tractentur, temporis occupant pluſquam ſatis. Ego totum id temperare conatus ſum, & modo quodam coercete; ne auditores tam benevolos primo hoc die, in quo reliquorum omen eſt, ad faſtidium detinerem.

DE

ACHILLE

ACROASIS IV.

HABITA

MENSE NOVEMBRI MDCCXXVII.

PUblice docendi onus, quod menſe Majo ad reficiendas animi corporiſque vires depoſuimus, nunc rurſus, quod bono veſtro fiat, alacres erectique ſubimus. Quamvis autem ipſa rei natura quodammodo poſcat, ut per plana & facilia, tamquam per gradus quoſdam, intermiſſa repetentes, ad altiſſimas contemplationes paullatim aſcendamus; attamen doctorum virorum frequentia, qua locus hic auſpicii gratia his diebus celebrari ſolet, non patitur, ut vulgare aliquid & commune afferamus. Ego enim cum præcepta dicendi omnia magni facio, & quantum per me licet, ubique retineo, tum nullum exiſtimo perpetuum firmumque eſſe præter illud, ut apte dicatur ad eos, qui audiunt. Video, quid poſtulet concio hæc, quæ certe non conveniſſet, ſi quid a nobis exiturum putaſſet ex plebejo illo & expoſito quæſtionum Logicarum promptuario, quod jamdiu ſtudia hæc noſtra in magnum contemptum ac prope faſtidium adduxit. Inceptam igitur abhinc biennio de Inexplicabilibus diſputationem perſequimur; ut partem hanc totam in Græca diſſerendi ratione latentem ad ſcholarum noſtrarum uſum producamus: ſi modo ſcholæ noſtræ rerum ac verborum κακοζηλίαν ſuperioribus annis ſuſceptam abjicere poſſunt, & ad antiquum ſplendorem redire. Scio equidem,

duo

duo tantum eſſe ſophiſmatum genera, quæ nomine veluti proprie inexplicabilia a Cicerone & Gellio vocantur, Soritem, & Pſeudomenon: ſi quis tamen orbem Philoſophicum obire voluerit, multa inſuper inveniet, quorum non tam forma, quam materia, ideſt non tam verborum, quam rerum ipſarum pugna explicari nullo modo poſſe videtur;, & extra controverſiam poni. Hujuſmodi eſt in primis *Achilles*, quo argumento veteres Phyſici, Zenone auctore, ut eſt apud Diogenem Laertium l. 9. n. 29. motum tollere conabantur. Ac nos; quibus firmum decretumque eſt a Dialectica provincia numquam diſcedere, de Phyſica hac difficultate verbum nullum faceremus, niſi eam Dux ipſe noſter & diſputandi Magiſter Ariſtoteles in libro Topicor. 1. c. 12. memoraſſet. πολλοὺς [inquit] λόγους ἐναντίους ἔχομεν ταῖς δόξαις, οὓς χαλεπὸν λύειν, καθάπερ τοῦ Ζήνωνος, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται κινεῖσθαι, οὐδὲ τὸ στάδιον διελθεῖν: ideſt *multas habemus rationes communibus judiciis oppoſitas, quas ſolvere difficile eſt: cujuſmodi eſt illa Zenonis, non eſſe motum, neque percurri ſtadium poſſe*. Habetis, in quo hodierna ſchola verſari velim: & licet, qua eſtis intelligentia, quanti hoc ſit, ipſi per vos cognoſcatis; attamen neſcio quid amplius polliceri auſim, quam conjicere cogitando poſſitis. Explicate atque excutite ingenia veſtra; quidquid afferam, qualecumque ſit, undecumque ſit, diligenter expendite: ac ſi quid forte a communi hominum ſenſu & experientia recedere videbitur, nolite antea condemnare, quam reputaveritis, viro ſapienti nihil temere pronunciandum eſſe, præſertim adverſus illos, qui in naturæ contemplatione tota vita verſati, ingentem doctrinæ famam ſibi compararunt, & in illa totius ſapientiæ patria (Græciam dico) familiam duxerunt.

Achilles igitur, ſi noſtros audimus, ſophiſma eſt, quod verborum ambiguitate ingenia minus prompta ludificat: at, ſi Zenonem conſulimus, firmiſſimum argumentum eſt, quod neceſſaria con-

conſecutione efficit, nihil moveri. Ego & inſtituto loci hujus, & quadam quaſi animi anticipatione Ariſtoteli addictus (quod multi pro ſæculi more ſibi turpe putant) non ſolum dico, dari in natura motum; ſed hoc tamquam philoſophandi principium pono. Attamen non auſim, quod turba ſolet, Zenonem contemnere ut nugacem, tum ipſius cauſſa, tum maxime quod videam, Xenophanem, Parmenidem, & Meliſſum in eadem opinione fuiſſe; quam deinde Stilpo, & omnes Megarenſes Philoſophi ſecuti ſunt. Habetis igitur non auctorem unum, ſed multos, eoſque non gregarios, ſed principes, & magnarum ſectarum ductores, qui conjunctis viribus defendunt, ut refert Ariſtocles apud Euſebium de præparat. Evangel. lib. 14. c. 17. & Ariſtoteles noſter l. 3. de Cœl. c. 1. quidquid eſt, unum tantum eſſe; generari nihil, nihil interire; moveri omnino nihil; ſed dumtaxat ita nobis videri.

Ex hac ipſa doctrina, ſi recte conjicio, Scepticorum familiæ ortæ ſunt; quæ cnm ex una parte ſenſibus omnibus motum perciperent, ex altera vero argumentis motum oppugnantibus reſpondere non poſſent, eo demum venerunt, ut nihil affirmarent. Cum enim apud eos, qui Dogmatici dicuntur, nihil certius ſit, quam motus, ſi hic ipſe labat, & a fallaciis liberari non poteſt, quid eſt reliquum, inquiunt, niſi ut in re omni aſſenſum ſuſpendamus? Ergo ſi rationes conferre volumus, ex immenſo illo ſectarum numero, quæ varias philoſophandi rationes inierunt, ſoli Peripatetici, Stoici, & Epicurei motum admiſerunt. Quod quidem iccirco præmittere volui, ne oſcitantes tamquam in captiuncula, Zenonis diſputationem adverſus motum excipiatis; aut, quod Diogenes fecit, abire incipiatis.

Princeps igitur argumentatio, qua Zeno ad motum labefactandum utebatur, *Achilles* dicta eſt, non tam quod validiſſima eſſet, quam quod ab Achillis velocitate ejus ratio & figura duceretur.

Ita

Ita enim diſputabat: ſi motus eſt, velociſſimus homo, cujuſmodi Achilles fuiſſe fertur, comprehendere curſu teſtudinem nequit. Nam ſit Achilles decuplo velocior teſtudine; ſpatiumque decurrendum ſit ſtadium: Achilles collocetur in principio, teſtudo in medio; & ex ſuo uterque loco moveantur: quo tempore Achilles veniet ad medium, teſtudo decimam alterius dimidii partem conficiet, ideoque præibit. Rurſus moveantur: dum Achilles decimam hanc partem percurret, teſtudo alterius decimæ decimam abſolvet, eumque præcedet; atque ita deinceps in infinitum: quia, quæ moventur, intervallis moventur; quæ intervalla, quantumvis exigua, infinite dividi poſſunt. Achilles igitur, qui toties ποδάρκης ab Homero dicitur, numquam teſtudinem aſſequetur. Quod ſi hoc tam abſurdum admitti non debet; oportet excludere motum; & conſtituere, tale quippiam nobis apparere, quod revera non eſt.

Multa præterea ſunt, quibus Zeno motum evertere nitebatur, eaque inexplicabilia: at nos illa tantum perſequi volumus, quæ ad *Achillis* confirmationem ſpectant, eodemque revolvuntur. Addebat igitur Philoſophus hic: ſi quid movetur, alicubi incipit, alicubi deſinit; ſed cum ſpatium quodlibet ſit infinite dividuum, nihil in eo primum, nihilque poſtremum reperiri poteſt; ſatius eſt igitur ut dicamus, non eſſe in natura motum, ſed ſpecie quadam & imagine falſa ſenſibus noſtris illudi. Huic parum diſſimile eſt illud: ſi quid movetur, pergere a termino in terminum; at in medio ſpatio infinitæ ſunt partes, infinitum autem finito tempore pertranſiri nequit; nihil igitur movetur.

Tota hujus argumentationis vis in eo ſita eſt, ut videtis, quia intervallum quodlibet infinite ſecari poteſt; quod Stoici & Peripatetici communi conſenſu docent. Epicurei, ut ex his Zenonis plagis ſe ſe expedirent, ſtatuerunt, eſſe aliquid in natura minimum, in quo diviſio conſiſtat, nec

por-

porro pergat. At aliunde capiuntur. Quia ſi minima hæc extenſione carent, nihil umquam extenſum facient; ſin autem extenſione prædita ſunt, procul dubio figuram aliquam parteſque habent, ideoque dividi poſſunt. Hæc ita multis rationibus explicari ſolent ac roborari, ut nullum Epicureis effugium relinquant. Præterquamquod ne ita quidem Achilles evertitur. Nam, utcumque teſtudo tarda ſit, certe unum ex minimis Epicureis quolibet momento decurret, quo nihil poteſt minus: at ne Achilles quidem quolibet momento plus minimo decurrere poteſt; aliter uno tempore eſſet in duobus locis: teſtudo igitur, ſi ſemel præceſſit, ſemper præcedet.

Reliqua philoſophantium caterva libenter concedit, intervalla quævis infinite ſecari poſſe; quamvis ne illud quidem neget, hanc ipſam opinionem in multas graviſſimaſque incidere difficultates, ex quibus vix exitum reperire poteſt. Nos, qui ex his ſumus, videamus oportet, quomodo tueri motum in hac infinitate poſſimus, & Achillis incommoda ſuperare. Arma nobis præbet Ariſtoteles in lib. Phyſicor. *6.* c. *9.* unde ipſa Zenonis argumenta ſumpſimus. Docet enim ſpatium, in quo aliquid movetur, eſſe infinitum non quantitate, ſed diviſione; ideſt non proprie & reipſa, ſed improprie & poteſtate quadam; quatenus, qualibet diviſione facta, rurſus quod remanet, dividi poteſt. Et quia tempus ipſum, quo motus fit, eodem modo dividuum eſt, ſequitur utriuſque partes ſibi inter ſe reſpondere. In hoc Ariſtotelis reſponſo nihil Ariſtotele dignum Zenonis ſectatores inveniunt. Nam primum quidem negant, tempus continere partes diviſione infinitas: ſiquidem temporis partes ita ſe habent, ut una ſit præterita, altera futura: quod autem præteritum eſt, dividi amplius nequit in id, quod erit; quod eſt futurum, dividi nequit in id, quod fuit. Deinde ad ſpatium quod attinet, ſi dividi, inquiunt, infinite poteſt, reipſa partes habet infini-

ni-

nitas; ideoque proprie infinitum eſt. Ut partes ſint partes, non eſt neceſſe ut divellantur; quemadmodum ut totum ſit totum, neceſſe non eſt, ut partes ſibi invicem admoveantur & coaleſcant. Ita dicimus totum Philoſophorum genus, quamvis Philoſophi ſinguli locis ac temporibus diſtent. Si partes ſeorſum conſiderentur, partes dicuntur; ſi in ſummam colligantur, dicuntur totum. Nomina duo, res una atque eadem. Nugatur ergo, qui finitum quantitate dicit, infinitum diviſione. Neque enim diviſio partes facit, ſed jam factas ſecando ſeparat. Motus porro quaſi dividendo procedit: quandoquidem partes ordine metitur, neque ſecundam attingit, niſi primam attigerit.

Hæc vulgares diſputatores per ſuas formulas *categorematice*, *ſyncategorematice* tamdiu eludunt, donec concionem dimittant, officiis corrogatam, neque cogitantem quid dicant, modo dicant aliquid. At illi, qui ſani ſunt, & fucum averſantur, hæc in naturæ arcanis recenſent, in quibus multa ſunt inenodabilia; ideoque poſtulant ut excipiantur. Scilicet rerum pauciſſimarum notiones natura nobis dedit; nec earum, quas dedit, nexum omnem & cognationem patefecit. Nos Ariſtotelis noſtri doctrinam explicare & ſuſtinere conabimur; non quod in re tam difficili ſperemus aliquid, ſed ne locum ante pugnam tamquam milites nimis ignavi deſeramus. Atque illud quidem, quod de tempore adverſarii dicunt, non eſſe dividuum, niſi in futurum, & præteritum, leve admodum eſt, neque nobis negotium exhibet. Nam (ut illa omittam, quæ adverſus Chryſippeam hanc temporis diviſionem Plutarchus ſcribit in libro *de communibus notitiis contra Stoicos*) futurum in partes dividitur, quæ prius, & quæ poſterius advenient; præteritum in eas, quæ ante, & quæ poſtea præterierunt: neque ullus dividendi finis eſt, quia numquam devenitur ad minima, quæ dividi hoc modo nequeant: At partes iſtæ ſive temporis, ſive motus, ſive interval-

li,

li, quomodo infinitum non faciant, cum ſint infinita quadam virtute dividuæ, hoc opus, hic labor eſt. Nobis ita videtur, qui dicit infinitum diviſione, ſeu poteſtate, non id dicere, quod terminis careat, ſed id, cujus termini inveniantur numquam. Dividi enim in partes infinitas nihil eſt aliud, quam dividi in tot partes, quot cuique placuerit; quotquot autem partes fiant, ſemper tamen finitæ numero erunt. Dicuntur igitur ea ratione infinitæ, quia qui eas facit, numerum non definit. *Ubi animus* (inquit Seneca Epiſt. 118.) *aliquid diu protulit, & magnitudinem ejus ſequendo laſſatus eſt, infinitum cœpit vocari.* Eodem fortaſſe modo intelligi individua Epicureorum debent. Ubi enim eorum animus dividendo laſſatus eſt, individuum dicunt. Noluit nobis natura finium cognitionem largiri. Infinitum vocamus, quod animo exhaurire nequimus; individuum & inſecabile, quod ad extremum ſecantes, cogitatione deficimus. Utrimque porro abſurda, utrimque difficultates; quia noſtræ imbecillitatis nomina ad rerum naturam traducimus. In hujuſmodi infinito, quod non natura, ſed nos facimus, cuilibet promptum eſt, principium & finem reperire; quæ ipſa nomina humani arbitrii ſunt, & a noſtræ numerationis ordine pendent. Hoc & pertranſiri finito tempore poteſt, & quidem longe celerius ab Achille, quam a teſtudine.

Quod ſi quis tamen adhuc animi pendet, nec plane ſoluta Zenonis argumenta judicat; illud reputet, num dici poſſit, motum fieri per partes arithmetica ratione, non geometrica diſtributas, ideſt per certa & numerata intervalla pro varia ejus, quod movetur, celeritate. Nam ita quidem non eſt mirum, ſi Achilles cito comprehendit, & prægreditur teſtudinem; cum uterque ſpatium decurrendo metiatur, non per partes ſubinde minores, ſed definitas, ſuiſque viribus reſpondentes. Divide, ut lubet, magnitudinem; perge ad extremas uſque particulas, quæ ſenſus fallant;

aer-

nervos omnes cogitationis intende, ut minima quaque inventa quantitate, rurſus minorem ſumas; abi, ſi placet, ad infinitum: quid tum? Videturne tibi Achilles his legibus moderari greſſus ſuos, an per intervalla ejuſdem menſuræ ſtadium percurrere?

Non ignoro, quomodo Zeno premere nos atque urgere ex contario poſſit: ſed hæc hactenus ſubtilia petentibus. Si quis remotas a communi ſenſu contemplationes & acumina minus probat, habet a Diogene, quid ſequatur. Ille enim (ut refert Laertius l. 6. n. 39.) contendente Philoſopho quodam ex Zenonis diſciplina, non eſſe motum, ambulare cœpit, atque ita non verbo, ſed facto adverſarium repulit. Modus hic declinandæ difficultatis fallax & ſophiſticus dicitur a doctiſſimo Baylio; quod peccet ignoratione elenchi. Cum enim Zeno, & qui ab eo erant, faterentur apparere motum, negarent autem revera eſſe, qui coram ambularet, non pervincebat ille quidem, ea moveri, quæ moveri videntur, ſed quod non erat in controverſia, gratis confirmabat. Nos pro Diogene ſtamus, ejuſque reſponſum Philoſopho dignum cenſemus; ſi modo philoſophandi inſtituta diſtinguantur, & ex ſuo quiſque judicetur. Ille enim cum veri judicia, quæ Græci κριτήρια dicunt, non in ratione, ſed in ſenſibus poneret, apte & ex ſua diſciplina ſenſus evidentiam opponebat per rationum ambages diſputantibus. Concedebat, niſi fallor, tacita quadam confeſſione, Zenonis argumentum apud illos, qui omnia argumentis confici volunt, inexplicabile eſſe; idem tamen infirmum & inane apud illos eſſe oſtendebat, qui in rebus evidentibus tempus & operam perdere nolunt. Id Diogeni familiare & uſitatum fuiſſe, non ad tempus quæſitum, duo vel in primis ſophiſmata ſignificant, quorum difficilis explicatio non erat, ſi otii cauſſa diſputare maluiſſet. Quidam illi ineſſe cornua affirmabat ita ferme: *Habes, o Diogenes, quod non amiſiſti; non*

amiſiſti cornua ; habes igitur cornua . Quid Cynicum reſpondiſſe putatis ? Frontem perfricuit : Tum vero , ego , inquit , cornua non ſentio : Atque ita diſputationem abrupit , quam ceteroquin in horas producere poterat , ut homines noſtri ſolent rixandi periti . Haud aliter illum rejecit , a quo humanitate ſpoliabatur . Fuit enim pro ea cavillandi libidine , qui Diogenem in publico deambulantem , atque aliud agentem ita ex improviſo aggrederetur: *Quod ego ſum, tu non es ; ego autem homo ſum ; tu non es igitur*. Cui Cynicus nihil moratus , ſi invertas , inquit , dicendi modum , continuo ſequetur , te eſſe beſtiam. Neque vero Diogenes ignorabat , quomodo ambigua iſta ex legibus Dialecticis diſtinguerentur , ſed eludere malebat, & ridiculos facere , qui talia populo venditabant . Diogenis morem ſequebantur illi omnes , qui ſenſibus erant addicti , eorumque teſtimoniis judicia regebant ſua , Quam in rem illud nobis referre placet , quod contigit Diodoro Chrono , qui Zenonis dogmata mirum in modum excoluit & propagavit. Hic ita diſputare ſolebat , ut eſt apud Sex. Empiricum Pyrrhon. hypoth. lib. 2. c. 22. & lib. 3. c. 8. Quod moveri dicitis , vel movetur quo in loco eſt , vel in quo non eſt : non in quo eſt ; nam ubi eſt, quieſcit , non in quo non eſt ; nam ubi non eſt , nihil agit : quod igitur moveri dicitis , nequaquam movetur. Reſpondebant aliarum partium Dialectici , quod movetur , neque in loco , ubi eſt , neque ubi non eſt, moveri ; ſed a loco in locum tranſire : proinde moveri nihil eſſe aliud, quam motum eſſe, & motum iri. At hinc Diodorus monſtra infanda oriri dicebat ; videlicet eum, qui ambulat, ambulaſſe, & ambulaturum ; qui cœnat , cœnaſſe , & cœnaturum ; qui vivit , vixiſſe , & victurum : ex quo ſequitur , nullum neque principium neque finem iſtarum actionum inveniri poſſe . Habebat in eo ſibi adverſarium , eumdemque amicitia conjunctum Herophilum Me-

di-

dictum; cujus ingenium hoc argumento non ſemel turbarat, & confugere ad ſenſus coegerat. Sed cum eum aliquando domum ſuam advocaſſet, ut luxato ſibi humero opem ferret, reſponſum tulit ſuis contentionibus dignum. Etenim Herophilus, viſo homine jacente, & ſuam fidem implorante, quid queteris, inquit, vana ſpecie deceptus? Inſanis, bone vir. Nam vel humerus emotus eſt quo in loco erat, vel in quo non erat: non in quo erat; nam ubi erat, quieſcebat: non in quo non erat; nam ubi non erat, neque agere, neque agi poterat. Atque ita diſcedere volebat, ratus deſerto humero, Diodori mentem ſanari poſſe. Sed cum deinde cogitaſſet, morbos iſtiuſmodi (ſic enim ipſe appellabat) inſanabiles eſſe, qua potuit, Amico conſuluit.

Redeamus ad *Achillem*. Hic igitur ſive explicabilis ſit, ſive inexplicabilis; cujus rei cauſſa neque cibum, neque ſomnum intermittere volo, ut ſolebat in hujuſmodi diſputationibus Pomponatius, certe ejuſmodi habitus eſt argumentandi modus, in quo multi gloriarentur. Quamvis enim ejus inventionis laudem Zenoni tribuant Ariſtoteles & Laërtius, tamen Phavorinus ad Parmenidem refert Zenonis Magiſtrum. Ego cum legerim apud Plutarchum in libro paullo ante memorato aliquid prorſus ſimile de teſtudine & Adraſti equo, tamquam veteri proverbio tritum, miror, quomodo *Achilles* ejus locum occupaverit. Quod ſi *Achilles* ipſe antiquior eſt, non ſane intelligo, cur formula iſta tantopere vulgata in aliam migrarit. Ut ut eſt, Plutarchus iſtiuſmodi argumentum explicatione carere judicat, utique apud illos, qui ſpatium in partes infinitas dividuum faciunt.

Nunc quæret a nobis fortaſſe aliquis, num Zeno ex animo ita ſentiret, non eſſe in natura motum. Ego de re hac ne dubitari quidem poſſe exiſtimo, quam antiquitas omnis teſtata eſt: niſi forte mirum videtur, ſenſiſſe Zenonem, quod

tam multi ſenſere ſapientiæ fama celebratiſſimi. Sed qui de Zenone dubitant, de omnibus dubitant, non intelligentes, qui hoc in hominem cadere poſſit, ut ſibi perſuadeat nihil moveri. Verum ſi ſemel ſtatuerimus, vix ulla in re ſenſibus noſtris fidendum eſſe; multaque videri, quæ non ſunt; mitiores in Zenonem erimus. Si quis in hoc Gymnaſio ante ſæculum XVII. pronunciaſſet, corporibus non inhærere colorem, ſed lucem incidentem in eorum extremitates vario modo contextas reſilire in oculos noſtros, eumque ſenſum in mente excitare, qui color vocatur, ad medicos amandatus fuiſſet: hodie nihil ſcire cenſetur, qui aliter docet. Cum hæc agitari cœpta ſunt, eodem modo accipiebatur, qui diceret, corporibus non ineſſe colores, atque hodie qui dicit, ea non moveri. Ergo (ſi licet Zenonis cauſſam ad tempus ſuſcipere) ut videntur colores eſſe, ubi non ſunt, ita motus eſſe videtur, ubi non eſt. Neque enim difficile fuit præpotenti illi mortalium Conditori, nos in puncto quodam conſtituere, atque ita afficere, ac ſi in magna quadam extenſione eſſemus; & illa omnia ageremus, quæ agere nobis videmur. Nonne qui dormiunt, & qui mente laborant, quamvis lectulo affixi minime moveantur, tamen ſe totos agitari putant, ire, redire, ludere, convivari, rem publicam privatamque adminiſtrare, illis omnibus concitati perturbationibus, quæ veras actiones conſequuntur? Quod ſi hæc invita tam ſæpe accidunt, cur ſimile aliquid tota vita accidere non poteſt? Scilicet primum illud appellare ludibrium ſolemus, quia cum aliquando ceſſet, aliter cogitandi locum relinquit; hoc qualecumque ſit, quia tamen diuturnius eſt, ita accipimus, ut apparet. Quamdiu nos rerum ſpecie duci patiemur? Quamdiu ſenſum, qui quotidie nos decipit, temere ſequemur; rationem veritatis ducem ac magiſtram, per quam unam homines ſumus, deſeremus? At enim nimis mira ſunt hæc, nihil moveri, nihil

gigni,

gigni, nihil mutari; excedunt hominis captum; non modo ſenſum omnem & naturam peſſundant, ſed Deum ipſum deceptorem faciunt. Quid ita? Vidi ego hominem cetera ſanum, qui ſe milii granum eſſe diceret, vixque domo exiret, veritus ne a pullis comederetur. Audivi a viris graviſſimis, fuiſſe alium non procul ab hac urbe, qui ſe rapam eſſe affirmaret, dieſque ac noctes in hortis degeret. Quid ſi tota civitas, quid ſi regio univerſa, quid ſi omne genus hominum hoc morbo corriperetur? An non inſani nomen ferret, ſi quis unus exiſteret, qui hominem noſtra hac uſitata forma deſcriberet, atque ita reliquis repræſentare conaretur? Accideret illi, quod Ovidio inter Getas degenti: *Barbarus hic ego ſum*, inquit in l. 5. Triſt. El. 10. Niſi forte dubitamus, quod in paucis Deus facit, quin poſſit in omnibus facere. Quam vereor, ne, quod ſcribit Tertullianus in Apolog. c. 6. *humano arbitrio divinitas penſitetur*; tantumque illi concedamus, quantum nobis videtur; quamvis quotidiana experientia fateri cogamur, judicia noſtra, ſi intra rerum ſpeciem contineantur, infinitis erroribus contaminari! Sit igitur Zenoni venia, qui in tantis ſenſuum fallaciis cum quieſcere non poſſet, rationem conſuluit, eamque ſequi maluit.

Vulgo credunt, id unum illi fuiſſe propoſitum, ut excluſa diviſione in partes infinitas, extenſa omnia minimis quibuſdam diviſionis expertibus componeret. Hinc Zenonis puncta undique reſonant, & ſcholaſtica ingenia maxime exercent. Nondum tamen inventus eſt, qui ullo antiquitatis monumento puncta hæc a Zenone manaſſe, teſtatum fecerit. Nec fortaſſe invenietur. Si quidem *Achilles* ejus tam pugnat cum individuis, quam cum dividuis, ut eſt a nobis demonſtratum. Præterquamquod tantum abeſt, ut Zeno partes in natura admitteret, ſive dividuas, ſive individuas, ut primum quidem omnia unum eſſe ſtatuerit, ſecutus Parmenidem magiſtrum ſuum;

deinde vero illud ipſum unum de loco dejecerit. Hinc Seneca ſcribit epiſt. 88. *Parmenidi nihil eſſe certum præter unum, Zenoni ne unum quidem*. Sed fortaſſe ſupervacuum eſt quærere, quid ſenſerit homo *ἀμφοτερόγλωσσος*, ideſt *bilinguis*, ut dictus eſt a Timone Phliaſio. Ejus inventum eſt Dialectica illa, quæ nihil certum decretumque habet, ſed ad tempus & hominum gratiam diſputat. Quam multos ſectatores habuerit, neminem veſtrum ignorare arbitror: ut vel ex hoc ipſo nihil contemnere debeamus, quod ab eo profectum ſit. Siquis ejus inſtitutum non probat, me quoque ſubſcriptorem habebit. Quamvis tantum virum non ejicere ex ſchola velim, ſed unguentis delibutum, & floribus ornatum dimittere, quemadmodum Plato ex ſua civitate Homerum dimiſit.

Plutarch. in Pericle.

DE IGNAVA RATIONE ACROASIS V.

HABITA MENSE NOVEMBRI MDCCXXVIII.

INexplicabilium doctrinam ut plene cumulateque abſolvam, ſophiſmatis genus longe graviſſimum in medium affero, quod ne illi quidem contemnere audeant, qui artem diſputandi omnem contemnunt, & tamquam illiberalis ingenii conatum ad otia ſcholaſticorum amandant. Hæc eſt *Ignava ratio*; turpe nomen inde nacta, quia ſi tale quippiam admittatur, quale admitti per hanc argumentationem Dialectici volunt, omnis e vita tollitur actio. Ac *Soritem* quidem, & *Pſeudomenon* cum explicaremus, videbamur Logicis noſtris gratificari: *Achillem* cum dedimus, aliquam à Phyſicis, niſi fallor, gratiam inivimus: nunc autem id tentamus, quod ſi bene cedat, omne genus hominum devincire beneficio debeat, nobiſque ac litterulis noſtris conciliare. Vertitur enim cardine hoc tota ratio fati, libertatis, neceſſitatis: quæ nomina non modo Philoſophicas & Theologicas ſcholas exercent, ſed ingeniis omnibus, quæ de ſe ſuiſque actionibus aliquando cogitent, plurimum negotii exhibent. Neque vero quippiam in tanta difficultate rerum audemus polliceri: quod videamus, & Græcos & Latinos Dialecticos, & veteres & juniores, in re hac dicendo & ſcribendo diligentiſſime verſatos, nihil umquam attuliſſe, quod omnibus probaretur. Qui ſupra ceteros ingenio va-

valuerunt, Cicero, & D. Auguſtinus, alter in libro *de Fato*, alter in 5. *de Civitate Dei*, eo uſque pervenerunt, quo pervenire mortalis contemplando poteſt; nobiſque verba quædam ſuppeditarunt pro negotii ratione ſatis idonea, quibus Sophiſtas refellamus, & veritatis lucem ex alto fulgentem excipiamus. Ego me, his ducibus ſine controverſia peritiſſimis, in viam dabo; & ut ſpero, exitum aliquem reperiam. Quoquo autem evaſura res ſit, tantum illi operæ ſtudiique impendam, quantum opus eſſe exiſtimabo volenti hujus diei expectationem ſuſtinere, ceteriſque ineuntis anni diſputationibus omen præbere.

Ignava ratio, Græce ἀργὸς λόγος, ad Stoicos referri ſolet, fati patronos & aſſertores, quod ea maxime fatalis neceſſitas roboretur. Per hanc homines ignavi & inertes fiunt, quod ita ferme diſputent, ut ſcribit Cicero de Fato cap. 12. *Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere; ſive medicum adhibueris, ſive non; convaleſces, item ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere, ſive medicum adhibueris; ſive non, non convaleſces: at alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet.* Alii aliter efferunt: ſi fieri non poteſt, quin ex hoc morbo convaleſcas; ſi verum eſt, te ex hoc morbo evaſurum; ſi in divinis decretis te ex hoc morbo non eſſe moriturum; & aliis præterea modis, ex quibus ipſi quoque iſtius quæſtionis tituli variati ſunt, *de Fato*, *de Poſſibilibus*, *de Libero arbitrio*, *de Providentia*, *de Divinis decretis*, *de Futuris contigentibus*, *de Phyſica prædeterminatione*. Diſputatione hac nulla eſt magis antiqua, nulla magis communis ac diffuſa, nulla acrioribus animis agitata; quæ non modo ſcholas, ſed gentes humanas diviſit; moreſque earum ita variavit, ut Turcæ fato addicti ne in ſumma quidem ſuorum peſtilentia ſibi caveant; nos, qui liberas cauſſas admittimus, vel leviſſimam teterrimæ luis ſuſpicionem timidi paventeſque refu-

gia-

giamus. Quia porro nulli magis naturalibus cauſſis humanum arbitrium obſtrinxerunt, quam Stoici, hinc noſtrorum Dialecticorum vulgus, Criticæ eruditionis incurioſum, *Ignavam rationem* ab illis inventam exiſtimat. Id quam longe abſit a vero, vel ex eo apparet, quod Zeno Stoicorum auctor & parens, ut refert Laertius lib. 7. in ejus Vita, ducentas minas cuidam Dialectico dedit, a quo ſeptem *Metentis* ſpecies didicerat: qui quidem interrogandi modus ab *Ignava ratione* vel parum admodum, vel nihil differt. Quomodo autem *Metens*, quem Græci λόγον θερίζοντα vocant, extrueretur, quidve efficeret, docet Ammonius ad librum Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας ſect. 2. cap. 10. *Si meſſurus es, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes, ſed metes omnino; contra ſi non es meſſurus, omnino non metes: alterutrum enim neceſſario futurum eſt.* Ex quo colligebant, nihil umquam laborandum eſſe de meſſibus, quarum eſſent fata ab ipſo naturæ exordio immutabilia.

Eodem ſpectaſſe creditur *Dominans ratio*, λόγος κυριεύων quod ego non diſſimulavi, cum de Pſeudomeno agerem: quamvis eo loco maluerim plana quadam via incedere, & iſtiuſmodi interrogationum ſpinas, inextricabili artificio contextas declinare. Scribit enim Arrianus de Sermonibus Epitecti lib. 2. cap. 19. *Dominantem rationem* habere locum in controverſia περὶ δυνατῶν, & in tribus verti pronunciatis: *Omne præteritum ex ipſa neceſſitate rei verum eſſe; ei quod fieri nequeat, id quod fieri poteſt, non eſſe conſequens; non poſſe id fieri, quod neque verum ſit, neque verum futurum ſit.* Ex quibus Dialectico more connexis demum concluditur, rerum naturam neceſſariis legibus teneri, ex omni æternitate conſtitutis: fatumque unum in Deos hominesque dominari. Hoc quale ſit, mox apparebit: undecumque exierit, & quocumque vocetur nomine, ſive *Metens*, ſive *Dominans*, ſive *Ignava ratio*.

Ejus vis latiſſime patet: & ſiquidem tota expli-

plicari deberet, omnis eſſet de fato doctrina in hunc locum producenda. Tenebimus nos, quantum fieri poterit, finibus noſtris. Interrogationis hujus duplex fundamentum eſt; alterum idem prorſus ac Dialecticæ totius, *Omne pronunciatum eſſe verum, aut falſum*; alterum idem ac totius Phyſicæ, *Nullum eſſe motum ſine cauſſa*. Ita autem ſe habent, ut ſibi invicem reſpondeant, & alterum in alterum incurrat. Nam quod cauſſam habet, per quam fiat, ſive ſit, ſive futurum ſit, verum eſt; quod cauſſa caret, eſt falſum. Qui per hæc diſputabant, illud quoque adjicere ſolebant, non magis commutari ex veris in falſa poſſe, quæ futura ſunt, quam ea, quæ facta ſunt; id unum eſſe diſcrimen, quod in præteritis apparet immutabilitas, in futuris nondum apparet. Cur enim dicimus, vera eſſe præterita? Quia ſcilicet ſuperiori tempore vera fuerunt inſtantia. Vera igitur futura dicenda ſunt, quia inſtantia conſequenti tempore vera erunt. Et quemadmodum fieri nulla virtute poteſt neque hominum, neque Deorum, ut præterita vera non ſint, ita neque ut futura. Tota rei hujus difficultas in cognoſcenda cauſſarum vi & efficientia poſita eſt: quod ut recte fiat, veteres Dialectici in duas veluti claſſes tribuendi ſunt. Alii, enim, quorum princeps Diodorus, ob id maxime futura vera eſſe contendebant, quod a cauſſis penderent antecedentibus, connexis, & neceſſariis: alii, quorum dux Chryſippus, iccirco affirmabant vera eſſe furura, quia enunciatio ipſa de futuris vera eſſet. Utrique fatum admittebant, & cauſſas prægreſſas, quibus omnia fierent: ſed Diodorei omnes cauſſas volebant eſſe neceſſarias; & quidquid fieri poteſt, aliquando eſſe futurum; & quidquid futurum eſt, neceſſario fore: Chryſippei ajebant, præter cauſſas neceſſarias, eſſe liberas quaſdam, ancipites, ac voluntarias; multaque fieri poſſe, quæ numquam fiant; quæque futura ſint, non omnia fore neceſſario. Ubi videtis, verum Diodori eſſe

verum, quia oportet eſſe; verum Chryſippi eſſe verum, quia eſt. Nos ſimul & Diodornm Chryſippo adjutore refellemus: & Chryſippi ipſius cauſſam, quam neque Stoicis ſuis, neque aliis Sectis probare potuit, defendemus. Id autem cum præſtiterimus, omnes *Ignavæ rationis* nodi, niſi prorſus inexplicabiles ſunt, ipſi per ſe divulſi atque evoluti dilabentur.

Diodorus igitur exiſtimat, omnia fato fieri; fatum autem eſſe conjunctionem quamdam primæ cauſſæ cum ſecundis, ex qua conjunctione ſequatur immutabilis neceſſitas, cur ea, quæ præterierunt, facta ſint; ea quæ inſtant, fiant; & ea, quæ conſequentur, futura ſint. Itaque hanc rerum univerſitatem ſive ex ſua, ſive ex veterum Phyſicorum opinione unam facit Diodorus, cujus partes ſint inter ſe ita arctis vinculis colligatæ, ut nihil quicquam fiat, quin ſit alicui rei conjunctum tamquam cauſſæ; & ipſum viciſſim alterius, quod ſequatur, cauſſa ſit. Nulla ſunt apud illum eventa non neceſſaria; nulla eſt cogitationum libertas: ſed aſſenſus omnis cauſſam habet ortam ex cauſſis aliis infinito quodam ordine procedentibus; ſive ſit viſum externum, ſive internum, ſive aliud quippiam in tanta complexione rerum nobis ignotum. Ex quo fieri cenſet, ut alibi aliter, alia alio tempore velimus, pro varietate cauſſarum aliter atque aliter impellentium: quæ cauſſæ ita nos urgent, ſibique obnoxios habent, ut nec alio tempore aut loco eſſe poſſimus, quam quo ſumus; nec aliter velle atque volumus; nec aliter agere atque agimus. Deum quoque ipſum fato ſubjicit, hoc eſt omnibus loci, temporis, & motus affectionibus illigat; ratus, ſupremam illam poteſtatem nihil eſſe aliud, quam communem quamdam rationem variis nominibus expreſſam pro diverſitate rerum, quibus ineſt, & quarum natura utitur ad mundi adminiſtrationem. Uno verbo, fatum definit, quo modo Seneca lib. 2. nat. quæſt. c. 36. *Neceſſitatem*

rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Nihil poterat excogitari potentius ad omnem religionem & Moralem Philoſophiam penitus extirpandam. Quid enim eſt, aut cur Deos veneremur, ſi fato adacti proſpera & adverſa diſtribuunt; aut cur bona & honeſta anxii faciamus, ſi hoc non eſt in nobis, ſed in natura, & cauſſarum connexione poſitum? Miror equidem, genus hoc doctrinæ non uni aut alteri homini diſſoluto ac perdito, ſed Philoſophicis familiis, atque inter has Stoicis ipſis probari potuiſſe, qui Deorum cultum in primis laudabant, & abſolutam quamdam virtutis atque honeſtatis ſpeciem præſeferebant.

Quamquam in iſtiuſmodi hæreſi non fuere Stoici omnes. Nam Chryſippus ejus ſectæ princeps, ut paullo ante dixi, vim fati moderari conatus eſt; & ob eam cauſſam arbiter honorarius a Cicerone nuncupatur inter ſuos, & Epicureos. Ejus hæc erat fati definitio, quam refert Gellius l. 6. c. 2. *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena volvens ſemet ipſa, & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt*. Admittebat igitur ipſe quoque cauſſarum ſeriem velut catenam quamdam, cujus tamen anuli non eſſent æqualis virtutis ac firmitatis. Alias enim cauſſas ajebat eſſe natura ſua neceſſarias, quarum eventus certo quodam modo ſe haberent, nec aliter ſe habere poſſent; ut cum interjectu terræ Luna obſcuratur: alias ancipites ac liberas vocabat, quæ quamvis cum agerent, una dumtaxat ratione agerent, aliter tamen agere poſſent; ut cum ego ſtans diſputo, qui tamen poteram ſedens diſputare. Priores illi, qui cauſſas omnes unius generis eſſe volunt, ajunt voluntatem quoque certis firmiſque legibus parere; atque ita parere, ut neque viſa præcurrant, quin fiat aſſenſio: neque fiat aſſenſio, quin viſa præcurrant. Chryſippus concedit quidem, viſa omnia, unde incipit aſſenſio, cauſſas dici poſſe, ſed externas dumtaxat atque exci-

tantes, quæ internæ ipſius facultati ac libertati nullam vim afferant. Explicare conatur ſimilitudine quadam a cylindro & turbine petita. Neuter enim movetur, niſi ſit, qui extrinſecus pulſando excitet: at id cum accidit, ſuapte vi & natura circumagitur. Ut igitur qui cylindrum aut turbinem pulſat, tribuit ei volvendi principium, quod eſt externum: volubilitatem autem, quæ utrique interna eſt, minime tribuit: ita viſum imprimens animo ſui ſpeciem, principium quoddam motionis edit ad aſſentiendum, aſſenſio tamen ipſa in nobis eſt, & libera voluntate fit. Neque enim cauſſæ omnes antecedentes, quæ rem quoquo modo impellunt, ſtatim etiam cogunt; ſed illæ ſolummodo, quæ plenæ ac perfectæ cauſſæ ſunt; quibuſque poſitis, quod fit, non poteſt non fieri. Mens hominis objecto viſo non trahitur, ut bruta ſolent; ſed conſultat, quærit, expendit, deliberat; in quo uno maxime ejus excellentia poſita eſt: interdum vincit, interdum vincitur: modo materiæ pondere preſſa cedit; modo ſe ſuis viribus tollit: eſt cum aliorum opinionibus jactata ſe rapi ſinit: eſt etiam cum omnes ſuorum conſiliorum rationes ex ſe una pendentes habet. Hinc ratio omnis virtutis ac vitii, laudationis & vituperationis, præmii ac ſupplicii. Pugnam hanc ſæpe deſcribunt Poetæ, nobiſque ejus imaginem ob oculos ponunt: tametſi fere genus hoc ad fatum inclinat, unde plenior & uberior carminis ſeges exiſtere ſolet. Sit nobis inſtar omnium Medeæ fluctuatio apud Ovidium lib. 7. Metamorph. v. 9.

Concipit interea validos Æetias ignes:
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat; fruſtra, Medea, repugnas:
Neſcio quis Deus obſtat, ait: mirumque, niſi hoc eſt,
Aut aliquid certe ſimile huic, quod amare vocatur.
Nam cur juſſa patris nimium mihi dura videntur?

Sunt

Sunt quoque dura nimis. Cur quèm modo denique vidi,
Ne pereat, timeo? Quæ tanti cauſſa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si poſſem, ſanior eſſem:
Sed trahit invitam nova vis; aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet. Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Attamen vicit demum animi vis, ſeque in libertatem vindicavit.

Dixit, & ante oculos rectum pietaſque pudorque
Conſtiterant; & victa dabat jam terga Cupido.

Quamquam poſtea viſo Jaſone, rurſus incenſa eſt & maluit, quod prius damnaverat.

Qui hujuſmodi aſſenſiones neceſſitate fieri putant, quærunt & a Chryſippo, & nobis, quomodo voluntas talibus viſis commota, adhuc ſui juris ſit, libereque aſſentiatur. Scilicet quia voluntas eſt, cujus natura non paritur, ut extrinſecus cogatur. *Ad animorum motus voluntarios* (inquit Cicero de Fato c. 11.) *non eſt requirenda externa cauſſa: motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſo continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat; nec id ſine cauſſa, eius enim rei cauſſa ipſa natura eſt.* Ita ajebat Democritus, non aliam eſſe cauſſam, cur atomus deorſum feratur, quam ipſam atomi naturam, quæ ſic eſt comparata, ut inſito ſibi pondere & gravitate ad lineam deſcendat. Libertas hæc voluntatis cognita & explorata nobis eſt, quia illam vivido ſenſu conſtantique percipimus; quo ſane judicio nullum poteſt eſſe gravius. Siquis enim a me petat, num ſim, num vivam, num ſentiam; idque ſibi probari velit; quid eſt, quod reſpondeam, niſi rem ita eſſe quia ita id plane percipio? Igitur cum ſentio, me libere velle ac nolle, ſtare ac ſedere, tacere ac loqui, revera ita eſt, ſicuti ſentio. Facultates reliquæ extra nos ſunt, aſſenſio una eſt in nobis: unde illud veteris Comici monitum, *ſi non potes*

ut

ut vis, fac velis ut potes. Aliis rebus & vis, & alienum imperium, & fatum, ſi ita loqui placet, adhiberi poteſt; huic uni non poteſt. Itaque Plautius Lateranus ad necem raptus, quod adverſus Neronem conjuraſſet; juſſuſque ſub ipſam pœnam, non ſine vitæ ſpe, rem totam aperire, plenus conſtantis ſilentii jugulum Carnifici obtulit: cumque urgeretur ab Epaphrodito Neronis liberto, denique reſpondit, ut eſt apud Arrianum de Serm. Epitecti lib. 1. c. 1. *Siquid dicere vellem, dicerem domino tuo.* O liberam vocem, & libero homine dignam! Poterat Romanus Imperator urbes condere & exſcindere; poterat Reges dare & auferre; poterat orbem terrarum bello concutere & pace componere: unius hominis voluntati vim afferre non poterat. Dicerem, inquit Lateranus, ſi vellem; nec alii dicerem, niſi cui vellem.

Verum non concedunt Diodorei, viſa illa, quæ voluntatem impellunt, qualiſcumque ſit impulſus, non eſſe neceſſaria, ſi fato fiunt, & in illa indeclinabili Chryſippi ſerie continentur: ac proinde ne illud quidem dant, voluntatem libere moveri, quæ ita ab Auctore naturæ condita eſt, ut viſo moveatur; quemadmodum neque cylindri, neque turbinis motus liber dici debet, ſed partim ab eo pendens, cujus impulſu editur, partim ab eo, qui utrumque volubilem fecit. Itaque ajunt, Dialecticum nimis acutum contraria conciliare voluiſſe; ſed per multas orationis contortiones eo demum eſſe delapſum, ut verbo a Stoicis ſuis differat, reipſa in eamdem incidat fatorum neceſſitatem. Nolo hominem deferere; qui fortaſſe fati nomen adhibuit, ubi minime opus erat, ſed tamen non peperit ea monſtra, ut mihi quidem videtur, quæ ipſi affiguntur. Primum enim fati neceſſitatem ponit in rebus illis, quæ ſemper uno modo fiunt; in quo a nemine reprehenditur: deinde illa quoque in fatorum ſerie collocat, quæ fieri ac non fieri poſſunt; non quod hæc ipſa per ſe ancipitis naturæ non ſint,

ſed

ſed quia non fieri neceſſe eſt, cum non fiunt; fieri, cum fiunt. Præſto ſit Chryſippo Ariſtoteles noſter, qui in libro περὶ ἑρμηνείας c. 9. n. 12. *Quod eſt*, inquit, *oportet eſſe, quando eſt; & quod non eſt, oportet non eſſe, quando non eſt. Verumtamen nec quidquid eſt, neceſſe eſt eſſe; nec quidquid non eſt, neceſſe eſt non eſſe.* εἶναι τὸ ὄν, ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι, ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη, οὐ μέντοι ὅτι τὸ ὂν ἅπαν ἀνάγκη εἶναι, οὔτε τὸ μὴ ἂν ἀνάγκη μὴ εἶναι. Qui aurum alienum videt, non poteſt ejus ſpeciem oculis oblatam repellere: ecce vobis prima fati ratio. At poteſt ea ſpecie duci ac non duci; hoc eſt appetere & non appetere, afferre manum & abſtinere: ecce vobis fati ratio altera: quia alterutrum procul dubio faciet. Erat in fato & natura Socratis, ut jugula concava non haberet; ex quo conjicere ſe poſſe putabat Zopyrus Phyſiognomon, eum & bardum & mulieroſum eſſe: fuit tamen in Socrate ipſo, iſtiuſmodi vitia, ad quæ naturalibus cauſſis ferebatur, ſtudio ac diſciplina corrigere. At cum correxit, hoc ipſum fati rationem induit, quia non potuit non eſſe. Videtis quam facile ſanari Chryſippi doctrina poſſit, ſeu potius Chryſippi ſermo.

Cicer. de Fato c. 5.

In eo quoque accuſatur a Cicerone, quod conatus ſit, humani arbitrii libertatem cum Deorum ſcientia, & rerum futurarum ſignificatione componere. Præpoſuit enim Chryſippus naturæ & fatorum ordini mentem divinam, quæ mundum providentia adminiſtraret, rebuſque humanis conſuleret, ſignificando etiam interdum & præmonendo, quæ cuique nocitura, aut profutura eſſent. Ita autem Tullius diſputat (ut quod eſt validiſſimum ex eo loco ſumamus, ſecuti D. Auguſtinum) ita, inquam, diſputat adverſus illum. Si Deus prænoſcit futura, & hominibus etiam aliquando ſignificat, hoc ordine evenient, quo ipſe eventura eſſe prænoſcit; ſi hoc ordine evenient, certus eſt rerum ordo prænoſcenti Deo; ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt ordo cauſſarum,

rum,

rum, quibus res efficiuntur; ſi certus eſt ordo cauſſarum, omnia quæ fiunt, fato fiunt; & quod conſequitur, nihil eſt in noſtra poteſtate. Id viſum eſt ita firmum Ciceroni, ut non exiſtimarit, voluntatis libertatem ſtare poſſe, niſi ſublata divinatione, & adempta Diis ſuis cognitione futurorum. Nam ſi eſt, inquit, libera voluntas, non omnia fato fiunt; ſi non omnia fato fiunt; non eſt cauſſarum omnium certus ordo; ſi certus cauſſarum ordo non eſt, nec rerum certus eſt ordo prænoſcenti Deo; ſi rerum ordo prænoſcenti Deo certus non eſt, non omnia ſic eveniunt, ut eventura ipſe prænoſcit; ſi non omnia ſic eveniunt, non eſt in Deo cognitio futurorum. Nos hic quoque ſtamus a Chryſippo. Neque enim, ſi Deo certus eſt ordo rerum & cauſſarum, illud efficitur, ut nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in hoc cauſſarum ordine ſunt; quandoquidem ipſæ quoque agunt: atque ita qui omnes rerum cauſſas cognoſcit, profecto humanas voluntates ignorare non poteſt, quas noſtrorum operum cauſſas eſſe cognoſcit. *Non igitur* (inquit Auguſtinus lib. 5. de Civitate Dei c. 9.) *non timemus, ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus, quin id nos facturos ille præſcivit: cujus præſcientia falli non poteſt*. Aliter ſi eſſet, ne verba quidem invenirentur ad id explicandum. Quomodo enim vellemus, quod nollemus; aut quomodo nollemus, quod vellemus? Hinc apparet quam frigida ſit, atque adeo impia illorum excuſatio, qui in divina rerum cognitione aſylum quærentes, ſcelera ſua fatis imputant. *Non ideo peccat homo,* (inquit Auguſtinum ibidem cap. 10.) *quia Deus illum peccaturum præſcivit: imo ideo non dubitatur ipſum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præſcientia falli non poteſt, peccaturum eſſe præſcivit; qui ſi nolit omnino non peccare, non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit*. Urget Carneades conjunctis cum Cicerone viribus, Deum præſcire non poſſe, niſi

E ſint

ſint cauſſæ rerum, quæ præſciantur, certæ ac neceſſariæ, ex quibus tamquam ſignis, quod nondum eſt, intelligatur. Videte, quos errores menti objiciat vox adhibita loco non ſuo. Tollite præſciendi verbum, in plano res eſt. Cum enim Deus non intelligat per temporum diſcrimina, ſed uno intuitu complectatur ſpatia omnia, præteritum, inſtans, & futurum, non præſcire, ſed ſcire dicendus eſt. Itaque non indiget ſignis: ſed ſicuti nos, quia videmus ea quæ fiunt, ex hoc ipſo quod fiunt, eſſe cognoſcimus; ita Deus, qui omnia ſibi præſentia videt, ex hoc ipſo, quod ita videt, perfectiſſime tenet. Inepti ſumus, ſi temporis notiones & vocabula ad æternitatis rationem traducimus; & ex anguſtiis mentis noſtræ de divinæ intelligentiæ virtute immenſa atque infinita judicamus. Nos in magno hoc collati orbe, quo mortalia & immortalia vertuntur, partes ſingulas ordine videmus, quia aliam poſt aliam attingimus: at Deus, qui medium tenet, cuncta ſibi circumfuſa proſpiciens, eodem tempore, eodemque modo ſine ullo diſcrimine videt.

Quæ cum ita ſe habeant, ſi cauſſam illam primam rerum omnium effectricem reputamus, omnia quæ fiunt, fato fiunt: quia nihil illi non præſens ac manifeſtum, nihil non certum ac firmum eſt. Hac ratione fatale tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere; fatale mihi ex hoc loco dicere: ſed ſi tu medicum adhibeas, ſed niſi ego me domi teneam; quæ ipſa quoque in illa ſuprema mente jam ſunt, & confatalia dicuntur a Chryſippo. Et ut ad ipſum hujus diſputationis caput redeamus, tempus & operam perdunt, qui nos per *Ignavam rationem* interrogant. Si enim res fatalis eſt, modus ejus eſt confatalis: ac proinde alterutrum, quod rogatur, procul dubio fiet, illudque ipſum divinæ menti notiſſimum ac certiſſimum eſt; quamvis neutrum ex ipſa rei natura, & pro modo cognoſcendi noſtro ſit neceſſarium.

Illud quoque poſtremo loco adjiciendum cen-

ſeo,

ſeo, fati nomen ſacris Scriptoribus duriuſculum videri, quod vulgo ad quamdam cæleſtium corporum efficientiam referatur, quæ nulla poſſit aut virtute corrigi, aut voluntate declinari. Quapropter licet in divinis decretis tota fati vis revera ſit, attamen quoties de iis loquimur, non fati, ſed providentiæ vocabulo uti debemus, ut docet D. Thomas in quæſtione ſextadecima Partis primæ, præeunte D. Auguſtino, cujus hæc ſunt verba in lib. 5. de Civit. c. 1. *Divina providentia regna conſtituuntur humana: quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod poſtea dicturus eſt, cum ab illo quiſquam quæſierit, quod dixerit fatum?* Quod ſiquis vocem hanc cauſſis minoribus tribuere velit, faciet auctore Boethio libro de Conſol. 4. proſ. 6. *Fatum*, inquit, *eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus*. Res igitur ipſæ, licet natura ſua mobiles, attamen fatum capiunt, quatenus ordine continentur. *Ita* (inquit Boethius ibid.) *res optime geruntur, ſi manens in divina mente ſimplicitas, indeclinabilem cauſſarum ordinem promat; hic vero ordo res mutabiles, & alioqui temere fluituras propria incommutabilitate coerceat*.

Sed noſtrum non eſt conſtituere, quæ quibus voces adhibendæ ſint, præſertim cum videamus, Poetas & Oratores nullis terminis coerceri poſſe, quin fato mutabilia & immutabilia tribuant, modo Jovi par faciant, modo majus, modo minus; nunc totum naturæ legibus adſtringant, nunc ſupra naturam tollant; interdum adamantinum appellent; interdum vetulæ carmine variari dicant: quæ quidem ita omnibus ſunt communia, ut non deceat in tam vulgari eruditionis genere afferendis teſtimoniis immorari. Hinc abunde habent navi & ignavi, quod ſibi ſumant. Qui ſapit, agit, quod agit; & reputat illud ip-

 ſum

ſum in fatis eſſe. Moriendum illi ſtatim eſt. Moritur tamquam abiturus in regionem aliam. Moriendum paullo tardius? Interim valetudinem curat, tamquam manſurus ubi eſt. De futuris ſiquando cogitat, talia fore ſibi perſuadet, qualia agendo faciet ut ſint. Thebanis pugnam inituris cum oracula duo, quæ contraria viderentur, edita eſſent, Epaminondas eorum dux fauſta in parte dextra poſuit, adverſa in ſiniſtra: tum vero, hæc inquit vobis, commilitones, oracula erunt, ſi ſtrenue pugnabitis; illa, ſi ignaviter. Quid opus eſt pluribus? Nemo ſane ex veteribus illis valentiſſimis Dialecticis, qui per *Ignavam rationem* diſputarunt, fuit ignavus. Ne nos quidem, ubi quid urget, *Ignava ratione* utimur, aut fatum appellamus. Tunc eo deſcendi ſolet, cum vehementi aliqua perturbatione occupati, veternum excutere nolumus. Per omne laborum & curarum genus vitia ſectamur, virtutem ſuadenti inertes & ignavi fatum opponimus. Nolim, quempiam iſtiuſmodi fallaciis ad vitam inſtituendam uti. Cicero cum eas tantopere expendiſſet, ad jocos familiares traduxit. Ita enim Varronem invitat lib. 9. epiſt. 4. περὶ δυνατῶν *ne ſcito* κατὰ Διόδωρον κρῖναι. *Quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire. Sin autem non es,* τῶν ἀδυνάτων *eſt te venire*. Finem faciamus. Proxima ſchola conſectaria quædam *Ignavæ rationis* perſequemur; & ſiquidem in fatis erit, ut rem tantam verbis tam paucis expediamus, procul dubio expediemus.

DE
PISTILLI VERSATIONE
ACROASIS VI.
HABITA
MENSE NOVEMBRI MDCCXXX.

QUicumque hodiernum hunc diſputandi morem tenet, ab aridis ac jejunis ſuperiorum ætatum quæſtionibus tantopere diverſum, fortaſſe mirabitur, unde ſatis materiæ Dialectico ſit, qua tueri munus poſſit, & cum reliquarum diſciplinarum magiſtris de laude certare. Nam Theologi, Philoſophi, Medici, Juriſperiti, quorum provincia latiſſime patet, omnemque non modo doctrinam & eruditionem, ſed etiam vim eloquentiæ capit, tamquam in alto navigant, ipſaque feruntur aquarum mole; ut niſi prorſus imperiti ſint, periti videri poſſint: nos anguſtiſſimo freto concluſi, per brevia & ſcopulos ire cogimur; modo rectum, modo obliquum tenentes curſum; nec ſatis aquarum habentes pro magnitudine navis hujus, nec umquam vela omnia, niſi ad breve tempus & magno cum periculo explicantes. Excute bibliothecas omnes; priſcorum Dialecticorum ſcripta juniorumque cognoſce; Græcos, Latinos, Barbaros, quicumque hoc in genere excelluerunt, aut excellere viſi ſunt, in partes voca; nihil exprimes niſi exile; quod que moleſtius eſt, diuturnis diſputationibus tritum, ipſiſque ſcholarum parietibus propemodum inſitum. Nihil tamen ſecius alacres erectique adſumus Logicam traditurі, veterem illam ſive artem, ſive ſcientiam, ſine qua nulla prorſus ne-

que ars, neque ſcientia eſt, quæ humanam mentem in cogitando regit, quæ rectum de rebus omnibus judicium tribuit; quæ vera a falſis, ſolida ab inanibus ſeparat; uno verbo, quæ hominem homini manifeſtat. In quo quidem plurimum veritatis & gravitatis eſt, ſed minimum novitatis. Niſi forte novum cuipiam videtur, quod in præſenti, ludum aperientes, de *Piſtili verſatione* diſputare aggredimur. Sit ſane nomen aliquibus novum: at res ipſa, quæ hoc nomine ſignificatur, ita vulgata Dialecticis omnibus protritaque eſt, ut nihil magis. Ac de verbis quidem ſi ultra vim & proprietatem laborandum Logico eſt, illud quoque fatemur, *Piſtilli verſationem* duriuſculum nomen eſſe, nec ſatis ad liberalis diſciplinæ ſplendorem accommodatum; ut etiam verendum nobis ſit, ne ad ſellularios repente tranſiſſe videamur. Ingenuam hanc hominis minime vani confeſſionem æquo animo accipite: & quando tam multos ferre ſoletis, qui mira polliciti denique nugas agunt, nolite illi benevolentiam negare veſtram, qui certe plus dabit, quam pollicetur.

Piſtilli vorſatio, Græce *ὑπέρω περιτροπὴ* ea dicitur argumentatio, quæ ab eodem ad idem progreſſa, in orbem fertur, nihilque efficit. Nam quemadmodum qui pinſit aliquid in mortario, piſtillum tollere ac deprimere ſolet, non circumagere; ita qui diſputat, non ludere verbis circumeundo debet, ſed recta ferri, tundere, jacu-

p. m. 1072. lari. Hinc Plutarchus adverſus Stoicos, *τὴν ὑπέρω*, inquit, *περιτροπὴν, ἵνα μὴ σκώπτειν δοκῇς, ἔασον. Piſtilli verſationem, ne cavillari videaris, omitte.* Eos enim refellit, qui bonum per prudentiam, prudenriam per bonum vana quadam *ταυτολογίᾳ* definiebant, ita explicantes utrumqne, ut neutrum fine alterius prænotione intelligeretur. Modus hic argumentandi ab Ariſtotele in lib. 1. Poſter. c. 3. *Circulus* vocatur, Sed *Circulus* quidem interdum reprehenſione caret, ut ibidem oſtenditur.

tur. Nam qui ab effectis ad cauſſas pergit, deinde vero a cauſſis ad effecta demonſtrando regreditur, *Circulum* format idoneum, & ad leges Dialecticas ſcite tornatum. Imo cognitio hoc modo para[illegible] dicitur ab Ariſtotele exquiſitiſſima; quod una atque eadem effectum aperiat & cauſſam, *τὸ ὅτι, καὶ διότι ἡ αὐτὴ* ut ſi dicam, *Luna illuminatur per gradus; ergo eſt rotunda: Luna rotunda eſt; ergo per gradus illuminatur*. Nam *illuminari per gradus* effectus quidam neceſſarius eſt *figuræ rotundæ*; & quidem ex iis, qui cum ſua cauſſa reciprocantur. At *Piſtilli verſatio* ſemper fallax eſt; quique hoc nomine in Dialectica utitur, nugatoriam diſputationem ſignificat, quæ a cauſſis ad cauſſas; ab effectis ad effecta recurrit; idemque prorſus per idem concludit. Quapropter *ὑπέρου περιτροπὴ* proverbii loco ſumitur in Heroibus Philemonis adverſus illos, qui inani contentione *τὰ αὐτὰ ποιοῦσι, καὶ οὐδὲν περαίνουσι, eadem faciunt, nihilque conficiunt*, ut verbis utar Zenobii in Sylloge parœmiarum. Plato autem in Theæteto *Piſtilli verſationem* cum ſcuticæ verſatione conjungit, quia ſcuticæ quoque ictus utilis eſt, non circumactus. Ita enim Socratem loquentem inducit ſub illius Dialogi finem: *Ὧν ὀρθὴν δόξαν ἔχομεν, ᾗ τῶν ἄλλων διαφέρει, τούτων προσλαβεῖν ἡμᾶς κελεύει ὀρθὴν δόξαν, ᾗ τῶν ἄλλων διαφέρει. καὶ οὕτως ἡ μὲν σκυτάλης, ἢ ὑπέρου λέγοιτ' ἂν περιτροπή*. Ideſt, *quorum rectam opinione habemus de modo, quo ab allis differunt, horum nos jubet rectam opinionem capere de modo, quod ab aliis differunt. Atque ita ſcuticæ, vel piſtilli verſatio dicitur*.

ibid. t. 178.
ibid. t. 98.
Cent. v. I. 25.

Præclarum hujus fallaciæ exemplum ab jure [illegible]titum affert Alciatus in Parergis l. 1. c. 19. [illegible]ud *[illegible] uxori trecenta dotis cauſſa jam deberem, [illegible]erat, unialienum contraxi; deinde, qui mihi [illegible] hypothecamque cum fundum Sempronio, conſen[illegible] remittente uxore, vendid[illegible]. Secundus creditor jure ſuo illum evicit ab emp[illegible], uxor jure dotis ab eo, emptor ab uxore. Quæritur, penes quem conſiſtere tan-*

dem debeat. Ecce vobis futilem juris ejuſdem *reciprocationem*: quamquam quæſtio ipſa neque futilis, neque admodum difficilis eſt Juriſperito. Nam vel uxor remittere hypothecam non potuit; vel ſi potuit, conditio ipſa, qua remiſit, controverſiam ſolvit. At idem Alciatus non ſatis apte in rem hanc D. Hieronymum affert. Cum magnus hic Eccleſiæ Pater Chryſippei acuminis, quod Ceratina nuncupatur, in quadam Epiſtola meminiſſet, *piſtillo retuſius* dixit. *Quoties enim* (inquit Alciatus) *piſtillo aliquid in pila teritur; circumvolvitur ille quidem pila, eodemque ſemper retunditur, nec tamen exit*. Quid hocce eſt, Alciate, *circumvolvi pila, eodemque retundi?* D. Hieronymus non cogitavit niſi de *piſtilli* figura, quæ cum omnino ſit obtuſa, mirifice valet ad ſignificandam, & irridendam hebetudinem acuminis Chryſippei.

Ceterum *Piſtilli verſatio* una eſt maxime inter fallacias, quæ verecundiam offundit auctori ſuo. Nam in aliis quidem apparet ingenium & ſubtilitas; iſta inopes diſputatores & nugigerulos declarat, qui idem per idem evolvunt, & nomina diverſa ſumunt pro rebus diverſis. A Scepticis apud Sextum Empiricum vocatur *διάλληλος λόγος*, *ratio alternans*; ab Alexandro Aphrodiſienſi dicitur *λῆψις τοῦ ζητουμένου*, *ſumptio quæſiti*; in Elenchis Sophiſticis appellatur *αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ*, *petitio principii*. Eſt autem *petere principium*, ut ſcribit Auctor ad Herennium lib. 2. c. 26. *id pro argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum eſt*. De toto hoc fallendi genere, cuius partes multæ ſunt, alias ex hoc loco diximus. Nunc eo dumtaxat conſilio *Piſtilli verſationem* attingere voluimus, ut eos refelleremus Chriſtianæ religionis hoſtes, qui nos hac ipſa fallacia peccare dicunt, cum ſacrarum litterarum veritatem per Eccleſiam, veritatem Eccleſiæ per ſacras litteras probamus. *Evangelio non crederem* (inquit D. Auguſtinus contra Epiſtolam Manich. c. 5.) *niſi me Eccleſiæ commove-*

veri auctoritas. At idem lib. 1. contra Creſcon. Grammat. c. 33. *Hoc facimus*, inquit; *quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ*, *quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas*. Credendum igitur Eccleſiæ, quia ita jubent ſacræ litteræ; credendum ſacris litteris, quia ita jubet Eccleſia. Ho autem, inquiunt adverſarii, quid eſt aliud, quam inani circuitu nugari, & ſacras litteras per ſacras litteras, Eccleſiam per Eccleſiam demonſtrare? Nam qui probat A per B, & B per A, probat A per A, & B per B, ut ait Ariſtoteles. l. 1. poſt c. 25.

Theologi quidam magni nominis circuitum hunc negare non audent; ſed utilem eſſe ſimilitudine oſtendunt. Etenim qua ratione in arcuatis ædificiis lapides lapidibus oppoſiti ſeſe invicem apprehendunt, mutuaque opera ſuſtentant & ſuſtentantur; eadem prorſus Eccleſia ſacras litteras fulcit, ſacræ litteræ Eccleſiam. Addunt, in natura quoquæ fieri ſimilia quædam, cum vapor ex pluvia, pluvia ex vapore gignitur, & alteram per alterum demonſtratur. Sed hoc argumentandi genus, quod fit per ſimilia, nullam vim habet, niſi forte in populari concione ad perſuadendum. Quod ſi cui gravius videtur, quod petitur a natura de reciproca vaporis pluviæque generatione, hunc ſciat circulum dici non poſſe: quia non eſt idem numero vapor, qui gignitus ex pluvia, atque ille, qui pluviam gignit; nec eadem numero pluvia eſt, quæ gignit vaporem, atque illa, quæ gignitur ex vapore. Ut enim circulus Geometricus minima quaque variatione corrumpitur, & in aliam figuram abit; ita circulus Logicus, ſi qua parte varietur, circuli naturam nomenque ſtatim amittit.

Alii ſacrarum litterarum & Eccleſiæ auctoritatem in tertiam quamdam cauſſam reſolvunt, id eſt in Deum aſpirantem & moventem. Sed iſti quidem cum vera dicant, nihil tamen efficiunt; quia ab externa ad internam cauſſam temere tranſeunt; & tacitum quoddam teſtimonium appel-

lant,

lant, quod ſibi ſectæ omnes tribuere poſſunt; multæ etiam ſolent. Id ſi valeret in diſputando, jam unus eſſet ſibi quiſque judex; nec reddere rationem ſuæ Fidei poſſet, nec ab alio repoſcere:
Ep. 1. c. 3. cum tamen D. Petrus nos velit *paratos ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, Fide.*

Nos facile concedimus, Eccleſiam firmari per ſacras litteras, ſacras litteras per Eccleſiam. Deinde dicimus, modum hunc argumentandi, quocumque vocetur nomine, ad recte demonſtrandum in primis valere, & ab ipſo Ariſtoteles, magno demonſtrandi magiſtro, in parte Philoſophiæ nobiliſſima uſurpari. Quod igitur facimus, hoc duce facimus. Ut enim ille in phyſicis a generatione, quæ ſenſibus ſubeſt, procedit ad principia rerum naturalium detegenda; deinde vero ab his tamquam cauſſis regreditur ad generationem ipſam demonſtrandam in libris de ortu & interitu; ita nos ab Eccleſia velut ab effectis procedimus ad cognoſcendam ſacrarum litterarum veritatem; deinde vero per ipſas ſacras litteras tamquam per cauſſas regredimur ad Eccleſiam confirmandam. Hæc dici ſolet a Logicis noſtris demonſtratio potiſſima, cum a poſterioribus ad priora progreſſi, rurſus a prioribus ad poſteriora redimus. Id porro extra omnem nubitationem ponetur, ubi oſtenderimus, Eccleſiæ auctoritatem eſſe aliquid nobis notum planeque evidens, ut eſt in rebus naturalibus generatio. Non multis verbis agam: ignorari non poteſt, quod luce miraculorum manifeſtatur. Ergo ut in tanta religionum varietate, ubi divinus Spiritus reſideret, oculis ipſis dignoſceremus, Deus Eccleſiam ſuam virtute miraculorum ornavit, quam nemo poſſet niſi voluntario ſcelere & malitia non ferenda diſſimulare. Nam cum miraculorum vis naturam ſuperet, ſtatim apparet; non eſſe niſi ab illo, qui eſt ſupra naturam. Hinc ſummus ille rerum parens & germanæ religionis auctor, ne impiis

qui-

quidem miraculi patrandi facultatem negare voluit, quoties veritas tanta manifeſtanda eſſet, ne ulla umquam erroris cauſſa prætenderetur. Ecce vobis primum Chriſtianæ fidei criterium, ut ſcholæ vocant; hoc eſt indicium & argumentum, a quo tamquam ab ſenſu & evidentia ratio prima credendi petenda eſt. Nulla hic *Piſtilli verſatio* eſt, nulla *ταυτολογία*. Evangelium manifeſtat Eccleſia, Eccleſiam miracula patefaciunt. Quare ſi quis velit via & ratione Dialectica de re hac diſputare, a miraculis initium ducit tamquam a præcognitis; & per ea invenit Eccleſiam: deinde per Eccleſiam detegit verbum divinum: poſtremo per illud tamquam per cauſſam primam, veram, & neceſſariam revertitur ad Eccleſiam ipſam, ejuſque myſteria demonſtranda.

Sed quomodo probas, inquiet aliquis, Eccleſiam miraculis patefieri; notaque iſta divinitatis veros religionis præcones a falſis ſeparari? Ego vero ita fieri dico, quia ita factum eſſe video. Nihil umquam Deus aut ad veterem legem, aut ad novam ſtatuendam imperavit, quin illis, per quos imperabat, fidem & auctoritatem miraculis conciliaret. Ut illis crederetur, qui incredibilia dicebant, Deus incredibilia faciebat. Quid enim? Num aliter, quam miraculis, magnus ille Legislator Moſes aut cum ſuis, aut cum aliis agebat? Nota ſunt omnibus, quæ de illo Joſephus, quæ Philo ſcripſit. Imo ita agere juſſus eſt, quoties de ejus fide dubitaretur, ut habemus in capite Exodi quarto. Quid frater ejus Aaron, quid Solis ſtator Joſue, quid Gedeon, quid Daniel, quid alii Prophetæ? Singulas referrem, quæ faciunt in rem hanc, niſi apud eruditos homines diſputarem. Sit inſtar omnium, quod deſcribitur ab Joſepho lib. 8. Antiqu. Judaicar. c. 13. & a Sacro Hiſtorico lib. 3. Reg. c. 18. Cum Elias regem Achabum, maximamque Hebræorum partem a ſummi Dei cultu ad Baali ſuperſtitionem migraſſe videret, populum univerſum coram Re-

ge

ge congregandum curavit ; ut ſcelere patefacto, convictiſque publico teſtimonio Baali ſacerdotibus, veri Dei religionem reſtitueret. Qua arte , quibuſve præſidiis in re tam difficili uſus ſit, ſic habete . Poſitis duabus aris ſine igne , eam conditionem tulit , ut uter Deus ignem mitteret ad aram ſuam , is demum verus Iſrahelis Deus ac Dominus haberetur . Baali ſacerdotes , conditione accepta , numen ſuum a ſummo mane ad meridiem uſque inani clamore fatigarunt ; cum ſubito Elias , implorata divina virtute, ignem e cælo duxit, aramque combuſſit. Neminem veſtrum eſſe arbitror , qui locum hunc ſacræ Hiſtoriæ elegantiſſimum non ſæpe legerit. Si igitur recte meminiſtis ; reliqui Prophetæ Eliæ ſocii , veritatem prædicantes , fuerant interfecti ; Elias miraculo fecit , ut veritati locus eſſet , & Baali Prophetæ quadringenti admodum & quinquaginta interficerentur.

Jam vero ad novi fœderis Eccleſiam veniamus . Viderant vafri illi Phariſæi , Evangelium non poſſe adhiberi ad probandum Evangelium ſine fallacia. Itaque cum Chriſtus dixiſſet , ſe lucem mundi eſſe , ſtatim in illum exarſerunt : ut eſt in capite Joann. 8. *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes : teſtimonium tuum non eſt verum*. Quid ille ? Attulit quidem Prophetæ Joannis teſtimonium :
Jo. 5. ſed ſtatim hæc addidit : *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea , ipſa opera , quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*. Rurſus autem obloquentibus Scribis , quod peccata remitteret , quid repoſuit ? qua potiſſimum ratione poteſtatem hanc tantam , quæ noſtris quoque ſæculis oppugnatores in-
Matt. 9. venit, qua , inquam, ratione firmavit? *Ut ſciatis* (inquit) *quia filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata , paralytice , ſurge , tolle lectum tuum , & vade in domum tuam*. Sed quantum miraculis & ipſe tribueret, & a nobis tribui vellet, tum maxime declaraverit , cum dixit Jo. 15. *Si opera*

ra

ra non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Non eſt opus interprete Logico, ut intelligatis, quid hinc efficiatur. Ille ipſe princeps & auctor fidei noſtræ Petrus quandonam ſua omnia reliquit, ut Chriſtum Dominum ſequeretur? Num verba ejus cum audiret, quibus arcana Prophetarum ſenſa interpretabatur, & æterni Patris mandata referebat? Audivit ille quidem & ſæpe alibi, & in navicula ſua Præceptorem, probavit, dilexit, complexus eſt; non tamen ab inſtituto diſceſſit, eique totus adhæſit, niſi cum retia vidit repente ad nutum ejus piſcibus impleri. Tum vero obſtupuit, tum ſine ulla dubitatione credidit, tum novum hominem induit, ſeque ſocioſque ſuos inſolito piſcatus generi addixit. Rem totam habetis apud D. Lucam cap. 5. Neque vero cauſſam aliam attulit Arnobius, cur patria ſuperſtitione deſerta, Chriſti religionem amplexus ſit. Ita enim ſcriptum reliquit in lib. 2. adverſ. Cent. *Nos quidem in illos ſecuti hæc ſumus, opera illa magnifica pontentiſſimaſque virtutes, quas variis edidit exhibuitque miraculis, quibus quivis poſſet ad neceſſitatem credulitatis adduci, & judicare fideliter, non eſſe, quæ fierent, hominis, ſed divinæ alicujus atque incognitæ poteſtatis*. Quid cum Apoſtolos ſuos ad prædicandum Evangelium Chriſtus miſit? Quibus eos artibus inſtruxit, ut novam doctrinam & inaudita myſteria temporibus tam eruditis nihilque temere accipientibus diſſeminarent? *Ite* (inquit Matth. 10.) *prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum Cœlorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite*. Et in capite Marci ultimo: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Egone igitur, dicet aliquis veſtrum, niſi hæc ſigna faciam, prædicare Evangelium, genteſque docere non potero? Te quoque,

que, ſi credideris, hæc ſigna ſequentur; quemadmodum ſecuta ſunt majorum noſtrorum memoria novum illum Indiarum Apoſtolum Xaverium, alioſque prætetea, qui non temere, ſed divino ſpiritu impulſi onus graviſſimum ſuſceperunt.

Quæ cum ita ſint, habetis quomodo Eccleſiam, nec ſacras litteras nec Eccleſiam agnoſcentibus, oſtendatis. Quod ſi quis alterutrum accipit & ratum habet, ad demonſtrandum id quod non accipit, argumenta ſumuntur ab eo, quod accipit. Dubitat de Eccleſia, de ſacris litteris non dubitat? Adhibentur prænotionis loco ſacræ litteræ, earumque auctoritate diſputatur. Eccleſiam probat, ſacras litteras non probat? Per primum ducitur ad ſecundum; per id, quod probat, ducitur ad id, quod non probabat. Hic vel nullus, vel exiguus eſt miraculi uſus. Itaque D. Auguſtinus in libro de *Unitate Eccleſiæ* contendens, Eccleſiam non eſſe apud Donatiſtas, ſed apud ſuos, miracula, quæ utrinque per ea tempora jactabantur, removeri juſſit; ut res tota Scripturis diſceptaretur, quarum auctoritas apud utroſque in confeſſo erat. *Hæc ſunt* (inquit in cap. 19.) *cauſſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta; hæc firmamenta. Legimus in Actis Apoſtolorum dictum de quibuſdam credentibus, quod quotidie ſcrutarentur Scripturas, an hæc ita eſſent.* Ubi videtis, *credentes* nominari, non incredulos & infideles, quos nihil movere ſolet, niſi quod naturæ leges movet & labefactat.

At enim non deſunt ex his ipſis, qui miracula reſpuant, negent, irrideant. Videte, quæſo, dum contendo Chriſtianæ Eccleſiæ indicium miracula eſſe, in quod maxime noſtrorum Theoſogorum diſputationes adverſus Paganos reſolvendæ ſint; videte, inquam, num miracula ipſa defendere debeam; an ſit oſtendiſſe ſatis, eum ita voluiſſe, qui Eccleſiam inſtituit. Attamen agamus liberaliter. Quid iſti tandem adverſus miracula comminiſcuntur? Non una omnium ratio eſt. A-

lii

Hi enim propterea miracula excludunt, quod in tota humana vita fraudes ſint. Sunt enimvero; & miraculi locum interdum præſtigiæ occupant: quia optima quæque ſimulari imitando ſolent. Si quis tamen iccirco miracula omnia in ſuſpicionem adducit, & ad fidem faciendam inepta cenſet, idem facit, ac ſi numos omnes projiceret, quod falſi quidam reperiantur. Moneant, ut delectum habeamus; moneant, ne temere hiſtorias admittamus omnes: moneant, ne cuilibet fæmellæ credamus: tum vero & ſapere videbuntur, in quo minime putant, nobiſcum facient. Nimia enim credendi facilitas miracula multiplicat; multitudo facit, ut contemnantur. Alii miracula calumniantur, quod virtus hæc Dæmoni communis ſit, & ad mendacium confirmandum non raro adhibeatur. Negari non poteſt, falſos Prophetas mira quædam aliquando feciſſe; & rurſus facturos eſſe, ut nos ſacræ litteræ monent. Sed ejus eſt, *qui facit mirabilia magna ſolus*, iſtiuſmodi fallacias aperire, ne veritatem ex animo quærentes decipiantur. Ita maleficis Pharaonis, non ſecus ac Moſes, virgas in ſerpentes mutarunt: at ſerpentes Moſis vorarunt maleficorum ſerpentes. Simon ille magus ſuſtulit ſe in aerem, ut vana commenta miraculo confirmaret, ſed precibus D. Petri deturbatus repente decidit. Oporter igitur ad miracula ipſa judicanda operam omnem curamque conferre; ne ignava quadam credulitate in admiratione & obſequium proni, vera, falſa, ſupera, infera, promiſcue accipiamus. Id ſi faciemus, ut homines decet veritatis & æternæ ſalutis ſtudioſos, non deerit ille nobis, qui numquam defuit quærentibus ſe. Sunt etiam, qui ſciſcitentur, cur amplius hoc tempore miracula non fiant, quæ olim fieri conſueverunt. Vetus querela eſt, D. Auguſtino nota; qui proinde nonnulla miracula refert, quæ vivente ac vidente ipſo facta fuerant. Nos quoque recitare quædam poſſemus, quæ noſtra ætate facta dicuntur. Sed lubet ipſis Au-

Marc. 13. pſal. 135. Exod. 7. Ambroſ. Exam. l. 4. c. 8.

Auguſtini verbis uti in lib. 22. de C. D. cap. 8. *Poſſem dicere, miracula neceſſaria fuiſſe, priuſquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente, non credit.* Sed qui nunc miracula quærunt, ideo quærunt, quia numquam facta fuiſſe arbitrantur. In quo quidem alterutra parte peccant, vel quod dicunt, Chriſtiana myſteria hominum fidem excedere; vel quod dicunt, ſine miraculis, quamvis excedant, perſuaderi hominibus potuiſſe. Ita que eos idem Auguſtinus dilemmate capit, ibid. *Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem; aut certe res credibilis, ut nullis, quibus perſuaderetur, miraculis indigeret, iſtorum nimiam redarguit infidelitatem.*

Verum eo tandem aliquando redeamus, ubi rei totius caput eſt. Miracula faciunt, ut oculis ipſis videamus, quæ ſit Eccleſia, hoc eſt quinam ſint ii, qiubus a Deo dictum eſt, *qui vos audit, me audit*. Eccleſia ſacros codices nobis præbet; quæque in his ſunt religionis dogmata, cuſtos & magiſtra interpretatur. Si quis per hos codices revertitur ad Eccleſiam ipſam demonſtrandam, non *piſtillum verſare* dicendus eſt, ſed more Ariſtotelico rectiſſime diſputare.

DE

OBSCURITATE

IN DISPUTANDO

ACROASIS VII.

HABITA

MENSE APRILI MDCCXXXIII.

Etſi pro mea quadam verecundia, & penitus inſito publici judicii metu numquam fere in hanc lucem prodire ſoleo, quin valde commovear; attamen illud me ſuperioribus annis ex inferiore loco docentem non parum confirmabat, quo reputarem, ne in ſcena quidem ab eo, qui ſecundas partes agit, magnum aliquid poſtulari. Nunc ad ſedem primam traductus, illud ipſum, in quo latebam, perfugium amiſi; & tamquam novus aliquis ex umbra diſputator, pericula omnia mente circumſpicio; magnopere veritus, ne quam ſive induſtriæ, ſive aſſiduitatis famam multorum annorum contentione collegi, videar non jure collegiſſe. Accedit, quod in locum venio viri ſingularis, multiplici reconditaque doctrina præditi; a quo cum alia alio tempore didicimus, tum illud nuper longe pulcherrimum & utiliſſimum, quod nos exemplo docuit, nihil eſſe in vita, quod vitæ ipſi & valetudini præverti debeat. Num id ex tempore & arte dicam, an vero ex animi ſententia, quilibet veſtrum facile intelliget, modo reputet, quid ſit a nobis conſilii duobus abhinc annis ſuſceptum; non quidem ut in otio eſſemus, ſed ut in litte-

rario ludo, quemadmodnm nobis videbatur, minore negotio verſaremur. Neque tamen idcirco deſpondere animum volo; aut alias rebus meis conditiones quærere, quam quæ dantur a Diis immortalibus, quæque ſunt. Eſt enim hominis ad parendum recte inſtituti in quolibet diſcrimine videre, non quid ipſe velit, aut poſſit, ſed quantum ſit in illis poteſtatis, quibus parere debet. Ego equidem me cogitatione hac ita recreo atque erigo, ut non ſolum æquo animo, ſed celſo alacrique opus tam difficile aggrediar; nec alium contentionum mearum eſſe finem velim, quam quem vel ipſa natura fatorum neceſſitate, vel ſupremi Academiæ hujus Moderatores ſua ſapientia conſtituent. Jam illum ipſum horrorem excutere cœpi: quem mihi Logicæ ambages, atque hæc, ut ita dicam, altiſſimi pelagi monſtra principio iucutiebant; jam ſcopulos ſyrteſque detexi; vereque illud mihi videor affirmare poſſe, ſublata obſcuritate, ex qua tamquam latebra callidi homines imprudentibus inſidiantur, totum hoc diſputandi artificium eſſe planiſſimum. Hæc captionum & fallaciarum omnium maxima Dialecticos in invidiam adduxit, & quidem multo graviorem, quam *rationes convelatæ*, *mentientes*, *fallentes*, *dominantes*, & illa ipſa terribilia nomina, *crocodilinæ*, *ceratinæ*, *inexplicabilia*. Cum hac ego teterrima litterarum labe perpetuas inimicitias ſuſcepi; vixque Logicam palæſtram ſubivi, veluti domeſticum belluæ antrum, cum eam ſtatim, quantum in me fuit, undique excuſſi, ejeci, fugavi. Sed quia in tanta diſputandi varietate, tantaque diſputatorum copia non deeſt obſcuritati locus & patrocinium, hodierna exercitatione conſtitui, quid hoc ſit, & unde ſit, diligenter inquirere; meumque de re tota judicium vobis explicare. Video mihi paullo amplius, quam Logico diſputatori conveniat, dilatandam orationem eſſe: ſed eſt profecto, cur poſſit ſive argumento, ſive diei, ſive auditorum generi venia concedi.

Eo-

Eorum, qui obſcure diſputant, non una ratio eſt. Alii enim ita diſputant, quod aliter nequeant; alii, quod aliter nolint. De utroque genere pro modo temporis verba faciemus.

I. Incipiamus a primo. Qui perſpicue diſputare cupiunt, ſed tamen nequeunt, vel ingenio ſuo impediuntur; vel re ipſa; de qua diſputant; quæ duo erunt tamquam ſumma partis primæ capita. Atque ad ingenium quod attinet; quidam anguſtia ejus & tarditate res ſibi ad explicandum propoſitas non aſſequuntur; quidam nimia quadam celeritate & abundantia rapiuntur ſupra res ipſas. Ex quo apparet, aliis deeſſe facultatem ad res comprehendendas & collocandas, aliis modum. Primis nihil eſt quod præcipiamus, niſi quod de agro ſterili minimumque reſpondente præcipiunt rei ruſticæ Scriptores: *Si terra recuſat, mitte recuſantem*. Non eſt inopia tanta diſputatorum, ut etiam invita natura diſputandum ſit. Undique magiſtri pro ſæculi felicitate ſuccreſcunt, ut jam in ipſis Muſarum ſedibus turba ſit; pluresque docere velint, quam diſcere. Ego, de me ipſo cum cogito; nihil eſſe judico in artibus ac diſciplinis tam mediocre, quod ferri non debeat: verum ſi quis hebetior eſt, abſtineat litterarum luce; ne illud amittat, quod unum, ut in tali re, ſolatium remanet, latere. Juniores Dialectici de mentis capacitate augenda, magnifico ſane titulo, multa ſcribunt; ſed omnia tandem in id recidunt, quod veteres quoque unanimi conſenſu tradunt, naturales facultates ſtudio & exercitatione perfici; ubi natura deeſt, nihil eſſe ſatis. At vero illi, qui luxuria quadam ingenii corpora pariunt vaſta & informia, corrigi arte poſſunt; & ad eam, quam quærimus, diſputandi ſanitatem adduci. His nocet magnum ceteroquin naturæ bonum, ipſe ille mentis fervor, quo exæſtuant; & quæ inde oritur, præſtandi libido. Ut enim illi, qui fame agitantur immoderata, cibos undique arreptos feſtinanter in ſtomachum ingerunt,

neque probe manſos, nec amollitos, unde cruditates morbique conſequuntur; ſic ingenia iſta prae-fervida & quærendo ſine delectu ſe ſe onerant potius, quam nutriunt; & exponendo ſine ſtudio, crudis ſimilia faciunt. Ex his ſiqui ſunt, qui morbum ſentiant, non is ego fortaſſe ſum, quem ſibi Medicum adhibeant; ſed tamen, ſi me rogant, ea ſit cura prima, ut impetum hunc ardoremque mentis per ea, quæ a Logicis tradi ſolent, attentionis inſtrumenta coerceant. Nam qui rem totam non exhaurit, non comminuit, non coquit, numquam luculenter explicabit. Quidam non ſuo modo ingenio celeriter acti, verum etiam prava quadam ſcholaſticarum exercitationum conſuetudine abducti, putant ſe res ipſas tenere, ſimul ac nomina quædam didicerunt. Sed cum earum notiones informare animo volunt, ut aliis aperiant, tum demum hærent; & quod fere fit, ne de ſua ignorantia fateantur, quod obſcurum eſt, craſſioribus tenebris obcæcant. In hoc accuſari ſolent, nobiles alioquin, & olim ſcholarum dominæ, Thomiſtarum & Scotiſtarum familiæ; quibus videtur eſſe ſatis, habere parata ad ſonum edendum vocabula quædam Logica, principii, fundamenti, ſubjecti, objecti, actus, poteſtatis, facultatis; ut ex compoſito inter ſe diſputent. Ita alii: ego, qui nihil auſim minus honorificum de illis proferre, unum hoc dicam, ordinem quemlibet ex diſſimilibus miſceri; &, ut eſt in more poſitum, ſingulorum vitia univerſis imputari. Vitia hæc vitare volenti religio ſit, nihil dicere aut ſcribere, quod non excuſſerit in partes omnes, penituſque cognoverit: addo etiam, quod non ſibi familiare diuturna meditatione & commentatione reddiderit, progrediendo iterum ac ſæpius ab ejus principiis ad conſectaria, a conſectariis ad principia iterum ac ſæpius regrediendo. Si enim in levibus artificiis, in cantu, in ſaltatione nemo ſcite & eleganter agit, niſi id ipſum quod agit, ſæpiſſime egerit,
quan-

quanto magis in hoc graviſſimo diſputandi munere neceſſe eſt, quæcumque promere volumus, ea prius cogitando verſare, addiſcere, aliis atque aliis modis efferre, dicam uno verbo, noſtra facere? Recte proinde monebat Monachum ſuum D. Hieronymus epiſtola inter Selecť. 87. *Multo tempore diſce, quod doceas*. At enim percommodum eſt ex tempore diſputare. Percommodum enimvero, pulchrum, divinum; ſi id poſſis recte facere, hoc eſt tam ſtrenue, ut te, qui audiunt, ex ſcripto, non ex tempore, diſputare arbitrentur. Sed vide, ne ignores, quæ vis diſputandi verbo ſubjecta ſit; ut ſiquis ædificare ſe putet, cum lateres, calcem, ligna, cæmenta in ingentem ſtruem coacervando compingit. Quamquam ingeniorum vis & varietas tanta eſt, ipſaque formula diſputandi ex tempore vulgo tam multas ſignificationes habet; ut malim, unumquemque de ſe ipſo judicare. Nos certe, ut verbis utar Ariſtidis, *οὐκ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, non ſumus e numero vomentium*. Sed porro pergamus. Cum rem totam exploratam habemus, nullatenus hæſitantes aut dubii; eamque nobis expeditam & familiarem meditando fecimus; tum ſingulas ejus partes ita diſponere debemus, ut quæ præcedunt, lucem fidemque afferant conſequentibus, ſeque ordine excipiant, & in auditoris animum ultro illabantur, non tam docentis voce compulſæ, quam ſuo quaſi pede deductæ. Quanti autem momenti ſit ad perſpicuitatem recta & idonea partium diſtributio, quæve hoc nomine digna cenſeri debeat, anno ſuperiore copioſe docuimus, cum diviſionis naturam & uſum explicaremus. Nunc id tantum dicimus, nihil hujuſmodi ſine magna animi cogitatione & induſtria præſtari poſſe. Interdum enim communia præcedere debent, interdum propria; modo præſtat a toto incipere, modo a partibus; alia prius definienda ſunt, alia prius dividenda; eſt ubi auctoritas facem præferat rationi, eſt ubi ratio viam

ſternat auctoritati. Quod qui non reputat, ſed quæcumque ſe ſe offerunt, impetu fundit; videtur ſane pro modo ingenii in ſingulis partibus interdum nitere, ſed comprehenſione tota obſcurus eſt. Sequitur deinceps, ut quæ ſunt recte cogitata & diſtributa, ſermone efferantur mundo & illuſtri, qui lumine ſuo rerum pulchiritudinem oſtendat. Sint aurea quæ cogitaſti: ſi verborum ſordibus infuſcas, ex auro lutum facis. Quod autem lutulentum eſt, quid mirum, ſi idem ſit tenebricoſum? Itaque etiam orationis ornatus, modo non inſignis & exquiſitus, aliquando locum habet; a quo nec Theophraſtus, nec Xenophon, nec Plato, nec Ariſtoteles abhorruit. Quamquam difficile eſt in ornando ſentire quid deceat, præſertim ſubtilia & ſpinoſa tractanti, in quibus magis offendit nimium, quam parum. Illud certe negari non poteſt, verborum ac ſententiarum lumina, quæ a Latinis figuræ, a Græcis σχήματα dicuntur, loco adhibita, ad diſputandi perſpicuitatem pertinere. Siquidem figuræ attentionem excitant; attentio facit, ut acutius cernamus. Sed hic maxime videndum eſt, quatenus.

Laudo, inquiet aliquis; ſi tota obſcuritatis cauſſa in diſputatore ſit: verum enimvero res ipſa interdum ſuapte indole perſpicuitati reſiſtit. Scilicet hoc erat alterum partis primæ caput a nobis propoſitum. Id quoque expediemus, ſi prius monuerimus, obſcura ab ignotis apud veteres Dialecticos non ſatis fuiſſe diſtincta: quod colligo ex iis maxime, quæ ſcribit Sextus Empiricus lib. 2. Pyrrhon. hypoth. c. 10. ubi in obſcuris ea numerat, quorum natura non patitur, ut ab homine cognoſcantur: cujuſmodi eſt ſtellarum numerus. Noſtris in horum vocabulorum ſignificatione diſtinguenda minus etiam diligentes ſunt, ſeu potius minus ingenui; qui cum vereantur, ne ſit Philoſophicæ dignitatis ignorare aliquid, quoties in ignota incidunt, obſcura vocant. Petenti mihi aliquando ab homine ſcholaſtico, & quidem

ex iis, qui nefas ſibi putant in publicis diſputationibus ſecundo loco interrogare; petenti, inquam, cur toties quæſtionem poneret de modo, quo mens corpori conjungitur, & in naturam unam cum illo coaleſcit, reſpondit, velle ſe rem obſcuram ultro citroque argumentando illuſtrare. Heus tu, inquam, bone vir, operam ludis. Modus hic non obſcurus eſt, ſed ignotus. Ignoti autem quæ poteſt eſſe illuſtratio? Tota natura diſtant corpus & ſpiritus: nec alia afferri poteſt admirabilis hujus conjunctionis cauſſa, niſi præpotens ipſa Divini Opificis voluntas. Neque vero turpe Philoſopho eſt, cauſſam tam remotam afferre, & tamquam in re deſperata Deum appellare; ubi *dignus vindice nodus inciderit*. Exempla ſimilia quotidie ſuppeditant publicæ privatæque exercitationes, in quibus multa ſunt caliginoſa & flexiloqua; nec poſſunt non eſſe hujuſmodi, quæ adhibentur ad explicandum, quod explicanti compertum non eſt, nec eſſe poteſt. Cicero quoque; niſi fallor, obſcura pro ignotis uſurpat in lib. 2. de Fin. c. 5. cum ſcribit, rerum obſcuritatem, non verborum facere, ut parum intelligatur Platonis oratio in Timæo. Inſignem hunc Platonicæ obſcuritatis locum notat etiam Sextus Empiricus in lib. 1. adverſ. Grammat. c. 3. aitque carere interprete. Revera non caret; quandoquidem multa ad ejus enarrationem ſcripſere Proclus, Chalcidius, Plotinus, Jamblicus, Porphyrius, Maximus Tyrius, & alii; verumtamen ipſa quoque tantorum virorum interpretatio interprete indiget. Quid ita? Scilicet Plato in Timæo Mundi generationem explicare conatur, quæ latet arcanis inveſtuta naturæ; proindeque non obſcura, ſed ignota tentat. Quid quod a naturalibus identidem ad divina tranſit; audetque de iis loqui tum in hoc dialogo, tum maxime in Parmenide, tamquam e Deorum concilio recens demiſſus? Poteſtne de rebus hujuſmodi ab ullo diſſeri niſi obſcuriſſime? De hujuſmodi „ in-

quam, rebus, quæ non Platonis modo & Platonicorum ingenia, ſed ipſam mortalis ingenii naturam longiſſime excedunt? Moſes, qui hæc novit, quatenus novit, in ſacris libris dilucide narrat. Si plus, quam tenebat, aſſequi conjectura voluiſſet, & humanis viribus philoſophari, in tenebras Platonicis ſimiles incidiſſet. Ubi igitur Atticus iſte Moſes (ſic enim Platonem appellat Numenius apud Clem. Alex. lib. I. Strom.) altius aſſurgit, quam homini conceſſum ſit; ejus oratio nebulis & caligine offunditur, nullumque exitum reperire poteſt. Sed Platonem dimittamus, qui ex more ſive Socratico, ſive ſuo, in planis quoque rebus diſputando fluctuat, & obſcurius docet, quam docenti conveniat. Hac de cauſſa *inexplicitus* dictus eſt a Martiale lib. 9. epigr. 48. Vos ſic attendite: qui in diſputando verſatur, is vel maxime ſibi perſuadere debet, ignorationem ejus, quod penitus incluſum abditumque in natura eſt, non eſſe Philoſopho indecoram. Itaque rem nullam pertractare & oſtendere aliis aggrediatur, quin antea perſpexerit, quid ſit in illa certum atque evidens, quid dubium, quid latens; quænam ejus partes argumenta neceſſaria capiant, quæ probabilia, quæ nulla, utrum naturam ejus teneat, an modos dumtaxat; & inter modos ipſos num omnes, num plures, num paucos: ne plus videlicet, quam Philoſophum deceat, & res ipſa ferat, quod harioli faciunt, profiteatur. Qui large affirmateque pollicitus, nota cum ignotis miſcet, dubia cum certis; obſcura non tam invenit, quam facit. Obſcuritas enim, ſi paullo attentius animadvertimus, vix aliunde oritur, quam ex confuſione & ambiguitate: idcirco qui alia ab aliis recte diſtinguet, & ſuis quæque finibus circumſcribet, etiam de rebus obſcuris diſputabit non obſcure.

II. Verum hactenus multa de illis, qui plane & aperte diſputare cupiunt, ſiquidem poſſint. Sequitur pars altera de illis, qui nolunt: in qua

non

non id ſuſcipio, ut quod Plautus in Sticho ait, invitos canes venatum ducam. Suo ſe illi, per me licet, atramento tamquam ſepiæ involvant: ſed interim tamen vel inviti audiant, ſe ita facere ſine ratione. Ac multis quidem vix perſuadere potero, eſſe animal rationale (quid enim Philoſophum dicam?) qui narret aliis, quod nolit intelligi. Cum enim tacere arbitratu ſuo poſſit, non apparet, cur vocem perdere malit; ac perinde loqui, quaſi non loquatur. Numquid eſt aliud, cur homines cum hominibus ſermocinentur, niſi ut ſibi inter ſe animorum ſuorum ſenſa patefaciant? Hoc totum ſermonis officium eſt; hoc in primis ſpectat hominum inter ipſos conjunctio & ſocietas; hæc princeps eſt humanæ vitæ conſervandæ ratio; omnium gentium conſenſus, atque ipſa prope natura clamat, in hoc unum nobis linguam a Diis immortalibus fuiſſe conceſſam; hoc jure ſuo poſcit auditor; quem ſi quis per obſcuritates & ænigmata ludit, indignus plane eſt ut audiatur. Attamen fatendum nobis eſt, ne cultiſſimis quidem temporibus defuiſſe, qui id demum exquiſite dictum exiſtimarent, quod intelligi non poſſet ſine interprete. Quod vero mirabilius videtur, inter ipſos quoque præceptores *inventus eſt quidam* (ut ſcribit Quinctilianus lib. 8. c. 2.) *qui juberet diſcipulos obſcurare, quæ dicerent, uſus Græco verbo σκότισον*. Vitium hoc in populari concione, tametſi probari non debet, ferendum tamen aliquando eſt; quod ea quidam contemnant, quæ ſtatim intelligunt. Commodum eſt etiam Sophiſtis, qui nihil aliud propoſitum habent in diſputando, quam quæſtum & victoriam, undecumque tandem ſit. Quapropter Ariſtoteles in libro Topicorum octavo, ubi interrogantem & reſpondentem armat ad Dialecticas concertationes, utrumque jubet ſermonis ambages & obſcuritates interdum adhibere; atque in iis latitando adverſarium ludificare. At a Philoſopho, cujus eſt in re qualibet veritatem pate-

patefacere, eaque una ad diſſerendum moveri, quid minus expectari poteſt, quam verborum involucra & ænigmata conſulto quæſita? Scio, vocari in medium ſolere Phyſicum Heraclitum, cui nomen *σκοτεινοῦ* philoſophandi obſcuritas dedit, tum etiam illo ſeniorem Pythagoram, qui dogmata ſua notis obſcuriſſimis involvebat, & ex inſtituto tamquam myſteria celabat. Heraclitum ſiquis diſputandi auctorem & ducem habere velit, habeat Diis bene juvantibus; qui tam ſanus erat, ut cum aqua intercute laboraret, Medicos quoque ipſos per ænigmata conſuluerit, num poſſent, ex imbre ſiccitatem facere; morique maluerit, quam morbum ſuum recto ſermone aperire. Qua de re epigramma eſt Diogenis Laertii in ejus vita. Non defuere tamen Heraclitei, Magiſtro ipſo nobiliores. Etenim, ut unum afferam inſtar omnium, Plato ipſe, antequam ſe Socrati traderet, Heraclitum ſecutus eſt; ejuſque doctrinam in natura explicanda retinuit. Sed a nemine reperio, quod erat in Heraclito *σκοτεινὸν*, fuiſſe laudatum; referentibus aliis ad triſte & lucifugum hominis ingenium; aliis ad intolerabilem arrogantiam, qua ſe rerum omnium peritum & *αὐτοδίδακτον* prædicabat, mortales ceteros *ἀνεπιστήμονας*. Blandius mihi & majore quodam honore excipiendus Pythagoras eſt, qui cum ſtatuiſſet, naſcente tum primum Philoſophia, non omnia temere vulganda eſſe, ita diſputare ſolebat, ut non intelligeretur niſi ab iis, quorum gratia diſputabat, hoc eſt a ſuis. Quamobrem Pythagorica doctrina uſque ad Philolai tempora in arcanis habita eſt. Hic eam protulit: quam cum abdebant Pythagorei, non obſcure diſputandum eſſe cenſebant, nec ipſi inter ſe obſcuri erant; ſed ſua alienis certa de cauſſa communicare nolebant. Solent obſcuritatis amatores etiam Empedoclem commemorare. Nempe Pythagoricum illum, & ut quidam volunt, Pythagoræ ipſius auditorem, cujus oratio tamquam confuſa & ambigua repre-

hen-

henditur ab Ariſtotele in tertio Rhetoricorum libro cap. 10. & 11. Is ſane obſcuriſſimus fuit, non ſolum ubi de Luſtrationibus ſcripſit, quarum ratio fortaſſe poſtulabat, ne aperirentur niſi initiatis; ſed etiam ubi de rerum natura memoravit. Omnia poeticis imaginibus miſcere conſuevit, tanta verborum volubilitate & confuſione, ut (quod Cicero de Fuſio & Pomponio in 3. de Orat. ait) ipſe ſibi obſtrepere videretur. Ignoſcendum non tam Philoſopho, quam Poetæ; & quidem Poetæ parum ſui compoti, ſi ſe ultro in ignes conjecit, ut raptus in cælum crederetur. Horat. in Poet. v. 464......... *Deus immortalis haberi*

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam

Inſiluit.

Id genus obſcuritatis non tam a ratione & conſilio, quam ab æſtu quodam exuberantis ingenii profectum eſt; & poteſt ad ea revocari, quæ dicta ſunt a nobis in parte prima. Sed nos domi noſtræ aggrediuntur, objicientes Ariſtotelem ipſum, qui obſcuritatem in docendo affectavit, ut colligunt ex ejus epiſtola ad Regem Alexandrum, cujus hæc ſunt verba a Gellio Latine reddita in lib. 20. Noct. Attic. c. 5. *Acroaticos libros, quos editos quereris; & non proinde ut arcana abſconditos, neque editos ſcito eſſe, neque non editos: quoniam iis ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* Ego equidem non negarim, quod alii fecerunt, Epiſtolam hanc Ariſtotelis eſſe. Sit fides Gellio, ſit Plutarcho, qui ipſe quoque eam refert in vita Alexandri. Attamen tantum abeſt, ut hinc appareat, Ariſtotelem obſcure docere voluiſſe, ut contrarium potius efficiatur. Si enim ejus dogmata qui litteris conſignata legunt, cognoſcere non queunt, qui ab eo audiunt, probe cognoſcunt; non ille obſcure docet, ſed ſcripta ejus, ipſo non docente, ſunt obſcura. Scilicet ἀκροατικὰ ſunt, hoc eſt ad aures

com-

comparata. Indigent ſchola, indigent ipſa auctoris voce: atque adeo in hoc præſertim ab exotericis differunt, quæ legere ad intelligendum ſatis eſt. Quo minus mirari debemus, libros Phyſicos περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως ab Ariſtotele inſcriptos fuiſſe; quod eos audire oporteret, atque explanante ipſo, cognoſcere. Demus igitur & concedamus, quod noſtri quoque interpretes ad operæ ſuæ commendationem præfari ſolent, Peripateticam Philoſophiam multis in locis videri obſcuriorem: id certe dare non poſſumus, auctorem ipſum de obſcuritate poſtulandum eſſe. Si alibi dicerem, pluribus verbis opus eſſet in rem hanc. Apud vos, qui lege atque inſtituto Ariſtotelem magiſtrum complexi eſtis, illud modo dicam, non potuiſſe hominem divino prorſus ingenio præditum, ejus artis auctorem, per quam unam diſputat, qui via & ratione diſputat, ipſis quoque Rhetoricis præſidiis munitum, atque adeo Rhetoricæ præceptorem poſt homines natos probatiſſimum; non potuiſſe, inquam, obſcure docere, niſi plane voluerit: velle autem ſi forte ſcribendo potuit, ut Alexandro morem gereret, loquendo certe ex animi ſui ſenſu non potuiſſe. Repugnat hoc naturæ ipſi ac veritati, oſtendere, quod nolis videri; docere, quod nolis addiſci; & ut verbis utar ex arte noſtra, ἐκ τῶν πρός τι, hoc eſt ex iis, quæ ſub eamdem rationem cadunt, ſimulque natura ſunt, unum ponere, non poſito altero. Præterquamquod qui clauſus zothecula ſua ſcribit, cum auditorem non videat, ore atque oculis exprobrantem ſibi, poteſt fortaſſe ſuſcepti muneris obliviſci; certiſque de cauſſis ſibi uni, quod ajunt, intus canere: at idem, cum recitat ex edito loco, videtque modo hunc, modo illum ex concione proximis inſuſurrare, avertere oculos ad motum quemlibet, ſubinde accedentes ſalutare, de hora quærere, exſcreare, oſcitari, nauſeare; profecto non poteſt, niſi plane ſit inſipiens, non expergiſci, nervoſque omnes ingenii,

con-

contendere, ut ſe ſe auribus animiſque inſinuet, omniumque ſtudia in ſe unum luculenta oratione convertat.

Sed ſcholæ modus ſtatuendus eſt. Hoc enim ipſum ad diſputandi perſpicuitatem pertinet, ſcire deſinere. Extremo loco monere volumus, hic quoque valere illud inter dicendi præcepta plane princeps maximeque neceſſarium, ut apte dicatur ad eos, qui audiunt. Incidere enim interdum poteſt, ut quædam auditoris cauſſa ſint obſcuranda: ſed hoc totum prudentiæ eſt; regiturque non arte, ſed tempore. Quod verum univerſe eſt, omnibuſque ratione utentibus ab ipſa natura propemodum inſitum, id in primis diſputando ante oculos habete, quemadmodum in domo recte ædificata præcipue ſpectatur ut lucida ſit; ſublatiſque luminibus, ne domus quidem dicitur, ſed carcer; ita præcipuam orationis virtutem eſſe perſpicuitatem; qua ſublata, ne oratio quidem poteſt appellari.

DE

DE
ELECTRA
ACROASIS VIII.
HABITA
MENSE NOVEMBRI MDCCXXXVI.

Ad Ariſtotelis lib. 1. *Poſter. Analyt. c.* 1.

SEmeſtri ſilentio uſus, quod bene vertat, redit in concionem ſummus ille diſputandi auctor & princeps Ariſtoteles. Quamquam non ſine metu redit; quod videat in contemptum & exitium doctrinæ ſuæ, non jam Philoſophos aliquos, ſed Philoſophorum familas, nationeſque prope ipſas partim conſilio, partim exemplo conjuraſſe. Contigit illi, quod rebus humanis commune eſt, ut ad ſummum faſtigium evectæ, ea ipſa de cauſſa ſolvantur & ruant. Cum enim homines Ariſtotelis ſtudioſi eo demum progreſſi eſſent, ut ex Philoſopho Philoſophiæ principem ac prope Deum facerent, paucis quibuſdam ſæculo quintodecimo diſplicuerunt; qui ſtomacho & iracundia exardentes, adverſus hunc ſcholarum dominum repente ſublato ſigno, de veteri poſſeſſione dejicere conati ſunt. Placuit audacia, quæ libertatis nomen præſeferebat; &, ut in populari ſeditione fit, impetu ipſo rapti vel modeſtiſſimi tamquam in predonem publici juris, quaſique tyrannum irruerunt. Juvat nos nihil temere facere. Itaque Ariſtotelis doctrinam uti publicam philoſophandi formam ſedulo cuſtodientes, homini tribuemus, quantum decet; & ſiquid forte

te apud alios felicius inventum, aut rectius explicatum deprehendemus, id bona cum venia ſumentes, adjiciemus & conciliabimus. Annus hic libro de Demonſtratione primo tribuendus eſt, quem prius aggredi nolo ad interpretandum, quam *Electram* vobis exponam; genus argumenti non ſane Peripatetici, ſed tamen ejuſmodi, ut ad priores hujus libri particulas revocari commode poſſit, & in jura inſeri Peripatetica. Res eſt gravioribus obſtructa difficultatibus, quam vulgo in ſcholis judicetur: quæ quidem difficultates ſi explicari & evolvi per nos poterunt, ſimil illud apparebit, qua ratione ad Ariſtotelis demonſtrationem *Electra* pertineat, & quinam ſit alterius in alteram uſus.

E*Lectram* memorat Diogenes Laertius in vita Euclidis lib. 2. n. 108. ubi ſcholis traditam dicit ab Eubulide Mileſio, nihilque præterea. Lucianus in Sectarum auctione uſum ejus tribuit Chryſippo: hiſque plane verbis deſcribit: Ἠλέκτραν μὲν ἐκείνην (φημὶ) τὴν πάνυ, τὴν Ἀγαμέμνονος, ἣ τὰ αὐτὰ οἶδέ τε ἅμα, καὶ οὐκ οἶδε. παρεστῶτος γὰρ αὐτῇ τοῦ Ὀρέστου ἔτι ἀγνῶτος, οἶδε μὲν Ὀρέστην ὅτι ἀδελφὸς αὐτῆς, ὅτι δὲ οὗτος Ὀρέστης, ἀγνοεῖ. h. e. *Electram illam* (dico) *valde celebrem, Agamemnonis filiam, quæ eadem novit ſimul, & non novit. Adſtante enim illi Oreſte adhuc ignoto, novit quidem Oreſtem eſſe fratrem ſuum, illum autem ipſum eſſe Oreſtem, minime novit.* Id, ut, videtis, ſumptum eſt a Sophocle, apud quem *Electra* de Oreſte fratre ſuo cum Oreſte ipſo verba facit, neque eum agnoſcit. Abſuerat enim annos prope viginti, poſtquam Clytemneſtra ejus mater, occiſo Agamenone marito ſuo, regnum Ægiſtho adultero tradiderat. Cum autem redire Argos ſtatuit ad ulciſcendum patrem, regnumque recuperandum, falſum de morte ſua nuncium præmiſit, ſeque Phocenſem hominem ſimulavit, qui ad inferendos ſepulcro patrio Oreſtis cineres miſſus eſſet.

Hoc

Hoc tamquam telo armati Stoici reſiſtunt Academicis contendentibus, verum quæri non debere, elencho illo Socratico, qui eſt in Platonis Menone: *Quod quæris, vel ſcis, vel neſcis; ſi ſcis, ſruſtra quæris, ſi neſcis, etiamſi invenias, non agnoſces*. Reſpondet enim Chryſippus, ineſſe nobis prænotiones quaſdam, ex viſis ortas, ipſaque natura perſpicuas, per quas ad veri cognitionem quærendo & nitendo perveniamus: ex quo ſequitur, nos id, quod quæritur, partim tenere, partim non tenere; uno verbo ſcire, & neſcire. Eodem ferme pacto atque *Electra* fratrem norat, & non norat: quippe norat, eſſe ſibi Oreſtem fratrem in Phocide apud regem Strophium, cujus fidei infantem commendaverat; non norat autem, illum ipſum, quicum loquebatur, eſſe Oreſtem, agnovit aliquanto poſt, cum Oreſtes, expoſitis ſignis, quæ ſorori nota erant, præſertim vero ſigillo patris, memoriam ſui excitavit, verumque viſum obtulit. Sic enim ait v. 1397.

Νῦν δ' ἔχω σέ. πρυφάνης δὲ
Φιλτάταν ἔχων πρόσοψιν,
Ἇς ἐγὼ οὐδ' ἂν ἐν κακοῖς λαθοίμαν.
Nunc vero teneo te: apparuiſti autem
Dulciſſimam habens faciem,
Cujus ego non ſum in miſeris oblita.

Hoc ipſum exemplum Academici in Stoicos detorquent tali quadam collectione. Verum reperiri & comprehendi non poteſt, niſi ſit, in viſis nota quædam, per quam pecipiatur & judicetur: nulla autem nota veri eſt, quæ eadem non poſſit eſſe falſi; ſiquidem *Electræ* viſum unum atque idem primo falſum, deinde verum ſignificavit; prius lacrimas, poſtea lætitiam excivit: verum igitur reperiri & comprehendi non poteſt. A Sophocle tranſeunt ad Euripidem; & ab eo neſcio quid ſimile ſumunt, cum ejus viſi fallaciam refert, quod Oreſtes ad *Electra* ſorore ſua ducebat. v. 264.

Μῆθεις, μὴ ἴσα τῶν ἐμῶν ἐρυννύων

Di-

Dimitte ; quæ una es ex meis furiis.

Fabula ipſa inſcribitur Oreſtes , qui cum matris interfectæ cogitatione commovetur , & in furorem agitur ; repellit ſororem ſibi aſſidentem , quaſi ſit erinnys aliqua ab inferis miſſa ad ſumendum de matricida ſupplicium : Hinc enim colligunt Academici , id quod eſt , repræſentare id quod non eſt ; totamque veri naturam & rationem in viſorum ambiguitate latere . Neque vero , inquiunt , Oreſtis judicium expectandum eſt , furore ſublato : quia viſum , ſi pro veri regula haberi debet , ut cenſent Stoici ; certe haberi debet , quando eſt , non quando non eſt . Præterquamquod judicium quod fertur , excuſſo furore , de rebus illis , quæ in furore contigerunt , ſiquid valet , pertinet ad reminiſcentiam , non ad ſcientiam . Ne ille quidem ictum declinat , qui dicit , viſa hujuſmodi judicari oportere , non ab iis , qui furunt , ſed ab aliis : ſiquidem reponunt Academici , viſum debere eſſe regulam illi , in quo eſt ; non illi , in quo non eſt . Itaque Protagoras ajebat (ut ſcribit Cicero Acad. 4. c. 46. & Sextus Emp. l. 1. adv. Log. n. 60.) id eſſe cuique verum , quod illi apparet , & quo tempore apparet. Apud hunc ſive Sophiſtam , ſive Philoſophum , homo furioſus eſt idoneus judex eorum , quæ apparent in furore ; qui dormit , eorum quæ occurrunt ex ſomniis ; qui ægrotat , eorum quæ offeruntur ex morbo. Neque vero convenit , inquit , ex diverſis affectionibus de diverſis affectionibus judicare ; hoc eſt non debet ex iis , quæ apparent homini ſanæ mentis , ferri ſententia de iis , quæ apparent furioſo: neque ex iis , quæ nobis vigilantibus objiciuntur , decerni de iis , quæ objiciuntur per quietem: Scilicet unuſquiſque eſt in affectione ſua , tamquam in legitima quadam poſſeſſione conſtitutus: & ſi concedimus vigilanti , ut de dormiente judicet , etiam dormienti concedere debemus , ut ju-

dicet de vigilante: aut neuter de altero judicare debet, quia neutri eadem apparent. Quæ cum ita ſint, efficitur neceſſario, veri & falſi diſcrimina in viſis notari non poſſe.

Quid Stoici? Illi vero ſatis ſibi cautum putant, cum viſa ita diviſerunt, ut alia dicantur comprehenſibilia, alia incomprehenſibilia. Hæc ſunt, quæ fiunt ex ſomno, ex vino, ex morbo, aut ex gravi aliqua ſpirituum perturbatione. Nam viſa quædam hoc modo commotis offeruntur, eorumque animum pellunt, quibus nihil extrinſecus reſpondet, vel non recte reſpondet; ideoque incomprehenſibilia ſunt. Exemplum eorum, quibus nihil reſpondet, ſit viſum Lycæ, ſive fuit Abydenus, ut eſt in libro de Mirabilibus; ſive Argivus, ut eum facit Horatius l. 2. ep. 2. v. 129.

Qui ſe credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro.

Hic viſum ducebat ex eo, quod non erat, ut Stoica formula utar. Exemplum eorum viſorum, quibus quod reſpondet, non apte reſpondet, ſit Thraſyllus Athenienſis; qui, ut narrat Heraclides Ponticus apud Athenæum in fine lib. 12. & Ælianus de var. hiſt. l. 4. c. 25. migrabat identidem ex urbe in Piræeum; naveſque ſingulas, quæcunque ingrederentur, aut egrederentur, in ſuis numerabat, & ea re mirifice gaudebat. Hic viſum trahebat ex eo, quod erat; ſed id, quod non erat, repræſentabat. Comprehenſibilia ſunt impreſſa & efficta ex eo, quod eſt, & appoſite ad id, quod eſt: cujuſmodi erat viſum Admeti aſpicientis Alceſtim uxorem ſuam, Libitinæ abreptam, & ab Hercule ſibi redditam; quamvis initio animi dubius in re tam inuſitata penderet, ut eſt apud Euripidem in Alceſti. Obiter moneo, quod ego viſum comprehenſibile voco ex Ciceronis Academico primo, a Zenone dici φαντασίαν καταληπτικήν, ut refert Diogenes Laertius
in

in ejus vita. Hoc autem unum in ſchola Stoica omnes habet in ſe numeros veritatis; & parit ἐννοίας illas, hoc eſt notitias, ex quibus ajunt fieri ſcientiam. Tria ſunt igitur apud Stoicos, ex quibus omnis propagatur cognitio, viſum, viſi comprehenſio, & notitia. Ac viſum quidem eſt impulſio rei cognoſcendæ in ſenſus noſtros; comprehenſio eſt mentis actio viſum capientis; notitia, quæ & prænotio, & anticipatio dicitur, eſt forma quædam hinc orta, & animo conſignata, per quam vere ac proprie ſcitur, quidquid ſcitur.

Ne hanc quidem doctrinam Academici probant contendentes nullum eſſe diſcrimen inter viſum comprehenſibile, & incomprehenſibile; ſive oriatur ex eo quod eſt, ſive ex eo, quod non eſt; ſive ejus quod eſt, ſive ejus quod non eſt, imaginem referat. Utrumque enim æque apparet, æque impellit, efficitque idem. Explicant exemplo Herculis furentis apud Euripidem v. 969. qui cum vidiſſet filios ſuos, putavit eſſe filios Euryſthei, ideoque ſagittis interemit. Siquis Græca non amat, idem fere habet apud Senecam in Hercule Furen. act. 4. Ita autem diſputant: Hercules, dum furit, viſum ducit ex ſagittis, & ex filiis ſuis; ſed ſagittarum viſum eſt comprehenſibile, quia offertur ex eo, quod eſt, & id quod eſt, fideliter repræſentat; filiorum viſum eſt incomprehenſibile, quia cum ipſi offeratur ex eo, quod eſt, videlicet ex filiis, tamen repræſentat id, quod non eſt, ideſt filios inimici. Utrum ex his viſis eſt clarius? Utrum vehementius Herculis animum ciet atque inclinat? Utrumque prorſus eodem modo ſe habet, idemque efficit. Nam Hercules & utitur ſagittis tamquam idoneis ad occidendum, & occidit filios ſuos tamquam filios inimici. Si viſum oblatum ex ſagittis eſt comprehenſibile, nec aliter eſſe poteſt, quia perſpicue apparet, motumque affert; cur viſum

Sex. Emp. l. 1. adv. Log. n. 405.

oblatum ex filiis incomprehenſibile dici debet, ſi eidem, eodem loco, eodem tempore apparet, eademque ratione motum affert? Quæ nota in illo veritatis eſt, in hoc fallaciæ? Quo diſcrimine alterum ab altero diſtingui poteſt? Opus eſt monitore? Monent amici, obteſtatur conjux, filii ipſi patris fidem & pietatem implorant. Hercules tamen ſibi uni credit, viſoque ſuo rapitur.

Quidam iſtiuſmodi interrogatiunculis deterriti ajunt cum Epicureis, viſum omne verum eſſe; ſed aliud rationabile vocant, aliud irrationabile. Viſum autem rationabile (λογικὴν φαντασίαν) tunc eſſe dicunt, cum illi rationis judicium accedit. Senſus enim ex Epicuri doctrina nunquam fallitur, cunctaque ejus viſa ita ſunt, ſicut apparent; ſive ex impulſione ejus, quod eſt, ſive ex vana quadam ſpirituum agitatione informentur: & quemadmodum affectiones jucundæ & moleſtæ, quacunque ex cauſſa fiant, re vera jucundæ & moleſtæ ſunt; ita ſenſuum viſa, unde unde ſint, vera viſa ſunt, vereque objiciuntur & movent. At vero judicia, quæ viſum conſequuntur, viſum ipſum rationabile, vel irrationabile faciunt: & ex his ipſis judiciis oriuntur fallaciæ, quæ ſenſibus tribui injuria ſolent.

Sex. Emp. l. 2. adv. Log. n. 70.

Pars horum maxima fallit,
Propter opinatus animi, quos addimus ipſi,
Pro viſis ut ſint, quæ non ſunt ſenſibus viſa.
Lucret. l. 4. 466.

Igitur quod ſenſibus apparet, vere apparet; utrum autem tale ſit id, unde oritur, quale ipſum apparet, rationis judicium eſt. Paucis, viſum veluti lux quædam tum ſe ipſum, tum res alias manifeſtat: quatenus ſeipſum prodit & manifeſtat, ſemper verum eſt; quatenus res alias, anceps & ambiguum. Hæc illi, vel ſimilia his, doctrinæ Peripateticæ valde affinia.

Jam de re tota ſiquis a me petit quod ſentiam; primum quidem dico, genus hoc ad illa proxime ac-

Digitized by Google

accedere, quæ Dialectici vocant Inexplicabilia: quod ipſum per ſe paullo attentius conſideranti facile apparebit. Deinde dico, *Electræ* viſo defuiſſe evidentiam; quæ una maxime veri & falſi regula haberi debet. Nam ſiquis putat, animum poſſe evidentiæ non cedere, is mihi ne ſatis quidem ſanus videtur, nedum Philoſophus. Eſt autem evidentia, græce ἐνάργεια, acris & vivida rei perceptio, naturali quadam neceſſitate manans ex ipſa rei perſpicuitate, de qua Lucullus in quarto Ciceronis Academico, cap. 14. *Perſpicuitas ſatis magnam habet vim, ut ipſa per ſe, ea quæ ſint, ita ut ſint, indicet*. Cum igitur id, quod eſt, ſicuti eſt, tutum ſe ſe offert; ita ut, quantacunque accedat attentio, plenius apparere nequeat: cum deinde ita ſe ſe offert, ut a rebus aliis, unde oriri poſſunt ambiguitates, omnino ſeparatum liberumque ſit: poſtremo cum is, cui ſe offert, ſuæ ſibi perceptionis probe conſcius eſt; videtque perſpicue, cognitionem ſuam non aliunde, quam ex ipſo rei ſenſu proficiſci: tunc enimvero affirmare poſſumus, viſum eſſe evidens. Porro evidens cum eſt, & comprehenſibile, & verum, & regula veri appellari poteſt. Cicero, ut viſorum evidentiam ab omni ſenſuum fraude, fraudiſque ſuſpicione liberet; ſic docet ejuſdem Luculli nomine ibidem, cap. 7. *Ita eſt maxime in ſenſibus veritas, ſi & ſani ſunt, & valentes, & omnia removentur, quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur: & intervalla aut contrahimus, aut diducimus: multaque facimus uſque eo, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii*. Ex quo apparet, ſummam regulam, & ut ita dicam, criterium criterii, eſſe conſcientiam percipientis.

Ego, ut ad certa capita rem adducam, qui-

bus omnes viſorum errores tollantur, ita conſtituo, evidentiæ cauſſas eſſe quatuor: prima eſt ſanitas & perfectio facultatis percipientis; per quam fit, ut excludantur illi omnes, in quibus ea pars corporis, quæ ad ſentiendum comparata eſt, aliqua ratione laborat: ſecunda eſt attentio, per quam fit, ut unus atque idem homo aliter alio tempore percipiat: tertia eſt clara & explicata natura rei cognoſcendæ; quæ ſiquo impedita modo ſit, viſum quoque ipſum impedit & obſcurat: quarta demum recta ratio eorum, quæ præcedunt & circumſtant; quæ conditio maxime deerat *Electræ* viſo. Siquidem falſus nuntius, qui de Oreſtis morte ad Ægiſthum venerat, cum Electræ animum jam teneret, fratris ſpeciem viventis ac loquentis excludebat. Hinc etiam habetis, quid Oreſtem falleret apud Euripidem. Scilicet Furiarum imagine vehementiſſime commotus ac perturbatus, nihil extrinſecus accipere, nihilque animo informare poterat, quod non inde ortum ipſi appareret. Id paſſim fieri videmus ex nimia commotione cerebri, ut internæ formæ plus valeant ad repræſentandum, quam externæ.

Nunc illud jure quæretis, quod initio propoſui, quomodo *Electra* ad Ariſtotelis demonſtrationem pertineat. Enimvero, ſi ad Chryſippum redeuntes, illud unum in *Electra* conſideremus, quod fratrem norat, & non norat; tantum abeſt a vitio & fallacia, ut etiam ad veri perceptionem nobis adjumento ſit. Nempe ipſa quoque ſcientia Peripatetica ex anticipata cognitione fit; & quidquid demonſtrando concluditur, etiam ante demonſtrationem certo quodam modo manifeſtum eſt. Latent enim concluſiones in ſuis principiis; iiſque cognitis, concluſiones quoque ipſæ virtute quadam cognoſcuntur. Quapropter Ariſtoteles ad

idem

idem illud Socratis argumentum, quod initio attulimus, verum fruſtra quæri, quia inventum agnoſci non poteſt; reſpondet ita prorſus, ut Stoici, in lib. 1. Poſter. c. 1. id quod quæritur, ſciri, & neſciri; ſciri virtute, quia tenentur principia, in quibus deliteſcit; neſciri actu & reipſa, quia nondum ex principiis erutum eſt. Ceterum libens concedit, ſi quid plane ſit ignotum, fruſtra inveſtigari; quemadmodum fruſtra inveſtigat colorum naturam, qui cæcus natus eſt. Nulla vis eſt humanæ mentis tanta, quæ talia detegere, aut agnoſcere detecta poſſit. Ita *Electra* fratrem Oreſtem, quicum ſermonem habebat, numquam profecto agnoviſſet, ſi omnino ignoraſſet, Oreſtem ſibi eſſe fratrem. Ex hoc tamquam capite pendet ſcientia omnis, quæ demonſtrando comparatur; ut clarius & copioſius oſtendemus, cum erit nobis de prænotionibus diſputandum.

Interim pro certo habete, ut verum inveniatur, ſummis contentionibus quæri oportere. Nam ne *Electra* quidem agnoviſſet fratrem, niſi quærendo & urgendo viſi fallaciam excuſſiſſet. Itaque ego vos, Adoleſcentes, qui nunc primum ad philoſophicum ſtudium acceditis, non dubitabo monere: Videte etiam atque etiam, ex tot Philoſophorum familiis, quarum unaquæque ſibi uni credendum affirmat, cui vos potiſſimum tradatis. In primo hoc ſuſcipiendi inſtituti diſcrimine non deeſt conſilio locus: ſi cujus limen ſemel attigeritis, difficillimum erit pedem referre. Scio equidem, pleroſque eo rapi, ubi minimum ſit laboris & ſollicitudinis; hoc eſt ad ſcholas illas, quæ deſperata veri perceptione, animum frangunt; eoque redigunt, ut agatur, non agat: ſed nolite per Deos immortales exiſtimare, tam commode vobiſcum agi, ut quæ via ad philoſophandum plana &

facilis apparet, eadem ſit optima. Scitum eſt illud apud Græcos, quod a Solone ortum, multis in locis Plato memorat & inculcat, Καλεπὰ τὰ καλὰ, *quæ pulcra ſunt, ardua ſunt*. Qui ipſe per ſe ſtatuere nequit, quem ſequi ducem ac magiſtrum maxime deceat (quis autem poteſt adoleſcens?) fidei ſe Academiæ hujus committat, cum qua honeſtius erit reprehendi, quam cum aliis laudari.

DE
SCIENTIA ET INSCITIA,
QUÆ AD MORES PERTINET,
ACROASIS IX.
HABITA
MENSE NOVEMBRI MDCCXXXVII.

Ad cap. 1. lib. 1. Poſter. Analyt.

SIquid eſt in noſtro hoc litterarum & artium curriculo, quod diuturna tractatione ingenia fatiget, ac veluti frangat, ea certe Logica eſt, niſi variis ſtudiorum generibus accomodata, ſpeciem aliquam novitatis, quam ipſa per ſe non habet, aliunde mutuetur. Huc ego ſuperioribus annis laborem omnem, ſtudium, & induſtriam contuli; & caput quidem Poſteriorum Analyticorum primum, quod incidit in hunc diem, tam multis litterarum luminibus exornare conatus ſum, ut ne fabulis quidem ad extremum pepercerim, quibus doctrina ex hoc genere aliqua continetur. *Electram* dico, quam duobus abhinc annis ex hoc loco explicui, & a Poetis ad Logicos traduxi. Nunc eodem regreſſus, primum quidem Ariſtotelicam ſententiam paucis exponam; deinde ejus uſum, non quidem in argumentando, quod alias feci, ſed in vita regenda patefaciam.

Tota igitur capitis hujus doctrina in eo vertitur,

titur, ut appareat, non eſſe abſurdum; ſcire; ac neſcire idem. Cum enim vellet Ariſtoteles, ſcientiam omnem demonſtrando comparari, demonſtrationem autem ex anticipata quadam cognitione fieri, contraria dicere videbatur, ſecumque ipſe pugnare. Si demonſtratio tua, ajebat Socrates, ex anticipata cognitione fit, profecto ſcis, antequam demonſtres: ſi ſcis, quonam conſilio id, quod ſcis, per demonſtrationem quæris! Nimirum ſcimus ante demonſtrationem, quia tenemus univerſalia, neſcimus, quia ſingularia non tenemus; apparent principia, latent concluſiones; totum ultro ſe ſe offert, partes ſunt evolvendæ; ſcientia præcedit ſcientiam, ſed imperfecta perfectam. Ita Socratem refellit Ariſtoteles & in capite hoc primo lib. 1. Poſter. & in lib. 2. Prior. c. 21. Ex hac porro doctrina magnam quandam controverſiam ſolvit in lib. 7. Eth. c. 3. & in lib. 2. Magn. Moral. c. 7. utrum is, qui facit aliqnid incontinenter; ſciens, prudenſque peccet, an vero ignorantia labatur. Nam quod ait Medea apud Ovidium lib. 7. Metam. *video meliora proboque, deteriora ſequor*; vix credibile Socraticis videtur; quod actio omnis judicium contineat, judicia autem ejuſdem de eodem contraria eſſe non [illegible] I-taque Medeam repellunt conte[illegible] [illegible]a-ta omnia inſci[illegible] eſſe. [illegible] [illegible]nt: Nemo agit [illegible] [illegible]ppe-titio ferri [illegible]
qui in[illegible]
agit [illegible]
[illegible] , [illegible] ra- [illegible] Itane [illegible] vero,

vero, reponunt Socratici, nec invita mens, nec ingratiis ruit in præceps; & cum aliquid malum eſſe cognovit ac judicavit, repente a ſe ipſa deſciſcit? quod ſi conſtat ipſa ſibi, habetque mali loco, quod ſemel judicavit eſſe malum; qua vi probare id poteſt, & amplecti? Non tam neceſſe eſt, oriente Sole, tenebras fugari, quam animum ſcientia imbutum fallacias depellere, & id ſequi, quod rectum eſt. Si non ſequitur, hoc ipſum argumento eſt, deeſſe illi ſcientiam. Quid quod Chriſtianorum inſtitutio non admodum diſpar Socraticæ eſt? *Pater* (ajebat Chriſtus, dum torqueretur) *dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciant*. Si tortoribus illis venia quærebatur; certe in crimine erant: ſi, quod faciebant, ignorabant, crimen ipſum erat ignorantia. Itaque noſtri morum magiſtri modo ignorantiam vocant peccati cauſſam, modo peccati pœnam, modo peccatum.

Sunt, qui ad opinionem confugiant, ajentes eum, qui peccat, ſuſpicari & opinari, non ſcire. Neque tamen iccirco in tuto verſantur. Nam vel firma opinio eſt, vel infirma: ſi infirma, reprehendi non debet, qui eam deponit; proindeque non peccat: ſi firma, animum immotum facit, non ſecus ac ſcientia. Argumento ſit Heraclitus; qui, ut refert Ariſtoteles, cum ſciri nihil poſſe judicaret, quod omnes perpetuo quodam fluxu verterentur, tamen o[illegible]ibus ſuis firmiſſime adhærebat; [illegible]que [illegible] omnia apparere, non eſſe, [illegible]ret, [illegible]en de iis pronunciabat, quaſi [illegible]nt.

Quid [illegible] ſenſum ab ejus intelligentia [illegible]ra[illegible]mare non dubitant, duas has [illegible]lt[illegible] contraria poſſe, ſibique invi[illegible]n[illegible]epugnare. Quid enim, in[illegible] contingebat aliud, cum moveri

veri ſe ſenſu ipſo experiebatur, nec tamen ſibi ratione perſuadere poterat, eſſe motum? Nempe Zeno ſenſu judicabat eſſe, quod ratione & intelligentia judicabat eſſe non poſſe. Veruntamen ſi iſti reputarent, ſenſum & rationem ab una eademque anima proficiſci, quæ pro variis agendi modis, & pro varietate inſtrumentorum, quibus agendo utitur, varia nomina ſumit, facile intelligerent, tam repugnare, ſi nos dicamus, ſenſus & rationis contraria eſſe judicia, quam ſi Philoſophus dicat, in una eademque materia contrarias formas reperiri. Pugna eſſe poteſt, contrarium judicium eſſe non poteſt. Nunquam ratio ſerio judicabit, non eſſe id, quod revera eſſe ſenſibus apparebit: nunquam ſenſus negare audebit, quod verum eſſe, clara perſpicuaque ratione demonſtrabitur. Mutari judicia poſſunt, ſuſcipi contraria non poſſunt. Solent etiam D. Paullum teſtem appellare, qui ajebat, videre ſe in membris ſuis legem quandam repugnantem legi mentis ſuæ; ideoque *ſervire ſe mente quidem legi Dei, carne autem legi peccati*. Verum id eo pertinet, ut intelligamus, ipſos quoque ſumma virtute & ſanctitate viros humanis infirmitatibus, ex primæva naturæ labe manantibus, eſſe obnoxios; & cum ſibi imperaverint ea lege vivere, quam mente retinent, nunquam tamen ita caſtigare carnem poſſe, & in ſervitutem redigere, ut idem loquitur Paullus, quin ejus vim atque impetum ſentiant.

Ad Rom. c. 7.

Nos ex paullo ante poſita Ariſtotelis doctrina ita pronunciamus, eum qui incontinentia peccat, ſimul ſcire, ſimul neſcire; nec tamen judicia ejus contraria eſſe. Premittimus autem, ſciri poſſe aliquid vel habitu, vel actu: ſcit habitu, qui ſcientiam habet, non tamen ea utitur; ſcit actu, qui & habet,

Digitized by Google

& utitur. Qui igitur flagitioſæ cupiditati paret, ſcit quidem habitu hoc fieri non debere, quia lædit honeſtatem ac virtutem; non ſcit actu, quia in præſenti nihil de honeſtate, nihil de virtute cogitat. Durum enim eſſet, inquit Ariſtoteles, ſi id ageret, quod actu ſciret non eſſe agendum, ſecumque ipſe certaret. Euſtratius exemplo rem explicat. Sicut enim qui Grammaticæ habitu præditus eſt, ſi forte de ſyllabæ quantitate rogetur, dum animo eſt perturbato, aut ad alia intento, errare poteſt, & brevem facere, quæ longa ſit; ita qui habitu tenet humani divinique juris regulas, poteſt tamen aliquando cogitatione abduci, & ex impetu ac libidine jus faſque violare.

Fortaſſe etiam illud dici poteſt, eum, qui ſcit actu, recteque judicat, moveri aliter non poſſe eadem illa ratione, per quam ſcit; moveri tamen poſſe trahique ratione alia. Ex. gr. qui ſcit, fidem hoſti non eſſe frangendam, quia id neque honeſtas, neque religio patitur, non poteſt ob hanc ipſam rationem fidem frangere; attamen frangere poteſt ob rationem aliam, quia præſtat imparatum hoſtem aggredi, & occaſione uti. Judicia ergo, quæ contraria videntur, revera non ſunt; quia judicandi rationes ſibi inter ſe non adverſantur. Et ut rem ad Logica principia ducamus, ſyllogiſmus eorum, qui peccant, plures habet ſumptiones, pluresque terminos, quam oporteat; videlicet id, quod ſit, eſſe commodum, & eſſe turpe. Hinc prava complexio. Hoc vero non ſolum ad eos pertinet, qui infirmitate & incontinentia labuntur, verum etiam ad illos, quorum ratio vitiata eſt, & ad omnem intemperantiam profligata. Quamvis enim iſti ſcientes volenteſque ſuſcipiant, quod non decet; non tamen ea ratione ſuſcipiunt,

piunt, qua non decet. Fatentur eſſe malum; ſed in eo boni aliquid reperiunt, qualecunque id ſit, quod malitiæ prævertendum putant.

Jam vero ad Achillem, quod ajunt, veniamus. Quemadmodum in ajendo & negando duo ſunt enunciata, univerſale unum, ſingulare alterum; ita ſcientia & cognitio quælibet vel univerſalis enunciationis eſt, vel ſingularis, vel utriuſque. Quamvis autem qui univerſalia tenet, ipſa quoque ſingularia virtute quadam & poteſtate teneat; hæc tamen cognitio niſi re ipſa ad ſingularia pergat, & rei præſentis cognitio ſit, non valet ad agendum. Ex quo fit ut qui principia moralia animo retinet, ſi forte contra ea facit, & mala cupidine obcæcatus honeſtatem deſerit, is ignorare ſingularia dicatur. Id ut plane intelligatur, docet Ariſtoteles, ſingulare illud, quod univerſali ſubjicitur, ejuſque ambitu continetur, geminum eſſe, alterum in homine, alterum in re: quod eſt in homine, ignorari nullo modo poteſt, niſi homo ſeipſum ignoret; quod eſt in re, quamvis ignorari ex rei natura penitus nequeat, quippe illi conjunctum atque inſitum, uſu tamen haberi pro ignoto poteſt. Exemplo rem aperiemus, nec alio ſane, quam Ariſtotelico. Sit univerſale pronunciatum, *homini ſicca proſunt*. Singularia, quæ in eo comprehenduntur, & adhiberi argumentando poſſunt, duo ſunt; alterum ad me pertinet, *ego ſum homo*, quod certe ignorare nequeo, ſi ſanus ſum; alterum manat a reipſa, *hoc eſt ſiccum*, quod non ita facile cognoſcitur. Qui fœdæ libidini indulget, ſcit univerſale; aliter non peccaret, quemadmodum non peccant belluæ: ſcit etiam ſingulare, ſi ita placet; non tamen ſcit ſingulare illud, quod eſt in re, ſed illud duntaxat, quod eſt in homine. Ecce vobis, quomodo ſcit, &

ne-

neſcit; quomodo agit ex ſcientia, & contra ſcientiam; quomodo illud ſequitur, quod fugiendum judicat, nec tamen judicia ejus contraria ſunt. Pugna hæc in omnì fere vita contingit. Vir enim prudens ea ſcire, & neſcire dicitur, quæ futura ſunt; quia neſcit res ſingulares in cauſſis ac principiis abditas, ſed cum principia cauſſaſque teneat, illa ipſa quæ inde pendent, poteſtate ac virtute tenet; qui dormit, vivere, & non vivere dicitur: vivit enim, quia ejus mens corpori conjuncta eſt; non vivit, quia quamdiu dormit, mente non utitur: ebrius ratiocinari, & non ratiocinari dicitur; ratiocinatur, quia ratione præditus eſt; non ratiocinatur, quia ratio ebrietate impedita vires ſuas in præſenti non explicat. Ita qui incontinenter agit, videt, & non videt; ſcit, & neſcit: ſequitur enim motum, & quidem ſponte, qui a rebus ſenſum impellentibus fluit; ratione interim quaſi ſopita, & per univerſalia fruſtra vagante. Si ratiocinandi moram & laborem ferre vellet, procul dubio intelligeret, ſe in magna quadam fallacia verſari, quod ſingula ex univerſis non recte ducat. Id facere poteſt, & cum facit, continens vocatur: bruta, quia facere nequeunt, nec incontinentiæ arguuntur, nec continentiæ laudem ferunt.

Hinc nobis ad ipſas quoque ſacras litteras interpretandas lux affulget, ne locus Proverb. 14. *Errant, qui operantur malum*, non ſatis cohæreat cum verbis D. Jacobi, quæ ſunt in cap. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt*: tum etiam ne D. Paullus adverſari ipſe ſibi videatur, cum ſcribit ad Rom. 1. *Quod operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*. Scilicet qui operantur malum; ſciunt & volunt bonum univerſale, ignorant & nolunt

ſin-

ſingulare. Fortaſſe enim Apoſtolus non de ſe ipſo ſuive ſimilibus loquitur, ut paullo ante interpretati ſumus; ſed incontinentium mores ea dicendi forma deſcribit.

Ceterum interdum ceſſatio quædam & inconſiderantia ignorationis hujus cauſa eſt, interdum vero perturbatio; quæ ſi vehemens ſit, non ſolum mentem avertit a cogitatione honeſtatis & virtutis, ſed immutat uſque eo, ut ſeſe expedire neſciat, & munere ſuo fungi. Apparet in ira, & in amore; qui affectus ad furorem uſque exardeſcunt, & rerum formas in aliam quandam ſpeciem effingunt, animoque exhibent. Nihil turpe ſuſcipiendum eſt. Fatemur (inquiunt incontinentes) probamus, confirmamus. At hoc, quod inſtat, ſenſumque impellit, nonne turpe eſt? Id vero, ajunt, fateri non poſſumus: fortaſſe videtur eſſe, quod non eſt; fortaſſe non plane eſt; fortaſſe purgari interpretando poteſt; fortaſſe non caret venia; ad extremum latebit; quod autem latet, habetur fere pro non facto. En quæſitum & criminoſum inſcitiæ genus. Nam, ut ſcribit D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. *qui ſciens non recte facit, amittit ſcire, quid rectum ſit*.

At enim qui peccat, interdum fatetur, ut initio diximus, ſe recte cognoſcere: *Video meliora proboque*. Dum hæc, aut ſimilia incontinentes loquuntur, quid aliud faciunt, quam quod pueri & hiſtriones, cum præclaras ſapientium hominum ſententias, & Poetarum carmina recitant? Vel non cogitant, quod dicunt; vel aliud ſentiunt, aliud dicunt; vel tota eorum ſcientia univerſalis eſt, cum agi nihil poſſit niſi ſingulare. Quicunque enim aliquid agit, utitur ſyllogiſmo, cujus concluſio ſingularis eſt: porro concluſio ſingularis ex ſumptione ſingulari manat. Quid te igitur ſci-

re

re juvat univerſale , ſi ignoras ſingulare , unde oriri concluſio debet ? *Eſt parti ſimilis concluſio deteriori*. Hæc quanti valeant , ſatis intelliget , qui Logicus erit. Qui non intelligunt , ſibi imputent : ſed illud, quæſo, reputent, quandoquidem occaſio tulit, quam male ſibi rebuſque ſuis conſulant, qui diſciplinam hanc noſtram ſtolida quadam opinionum perverſitate prætereunt ; ut cito convolent ad ea ſtudia, quæ ſine Logicæ præſidio nulla ſunt.

Digitized by Google

DE QUO QUÆRENDUM NON SIT.

ACROASIS X.

HABITA

MENSE NOVEMBRI MDCCXXXVIII.

Ad lib. I. Topic. c. XI.

REfectis ſive quiete, ſive, quæ proxima quieti eſt, domeſtica meditatione viribus, in publicum redeo, Ariſtotelis doctrinam de quæſtionibus, unde curriculi hujus initia ducuntur, explicaturus. Et cum de Analyticis ſemel atque iterum ſuperioribus annis diſputaverim; tantamque doctrinæ copiam in eas contulerim, quantam undique colligere pro mea tenuitate potui; placet in præſenti Dialecticas explicare, ideſt illas, quæ per communia & probabilia in partem utramque agitantur. Ratio hæc diſputandi a vetuſtiſſimo quodam Sophiſtarum genere orta videtur: quorum ea fuit diſciplina, ut nihil certi haberent, ſed in re omni ad repugnandum parati idem probarent atque improbarent; cuilibet rationi parem opponerent; ſua promiſcue atque aliena, ſiquis firmare vellet ſtatim infirmarent. Utrum id ex animo facerent, an vero ingenii exercendi gratia, non auſim decernere. Illud apud omnes conſtat, tantum hunc certandi ardorem paullatim ad ſanitatem deveniſſe; multaſque utilitates in ſcholas Dialecticas intuliſſe; donec immigrante barbarie, una cum ceteris ſtudiis ipſe quoque penitus obſolevit. Verum

rum ineunte ſæculo quarto decimo, ſimile quoddam diſputandi genus excitatum eſt Lutetiæ Pariſiorum, Franciſci Mayronis opera; ſumptoque modo *Theſium*, modo *Concluſionum* titulo, ſcholas concioneſque occupavit. Ut vero ex illa urbe late per Europam propagatum ſit, magnoque hominum conſenſu exceptum; tum alibi in jurgia creverit, alibi etiam in vanam quamdam ſpeciem degeneraverit, nihil attinet commemorare. Eſt certe adhuc ubi valeat; & acuendi ingenii nomine cuncta permiſcens, incerta faciat: proindeque non operam rudam, ſi oſtendero, terminos eſſe quoſdam, quos egredi quærendo diſſerendoque non liceat. Hac ipſa in re Ariſtotelem auctorem ducemque habeo, qui in primo Topicorum libro Logicum monet, ne ſibi liberum putet de rebus omnibus ambigere, & in partem utramque diſputare. Ejus ego veſtigiis more atque inſtituto loci hujus inſiſtens, hodierna exercitatione palam faciam, quæſtiones eſſe aliquas in magna hac exercendi ingenii palæſtra, quæ tangi non debeant. Ceterum ipſe mihi in re hac, per omne diſciplinarum genus latiſſime ſuſa, certos quoſdam fines præſtituam; tum ne tam benevolos auditores prima ſchola, plus nimio fatigem, tum etiam ne ſi omnia dicere velim, quæ puto dici poſſe, in quoſdam incurram, qui undique ſibi metuunt, & pro conſcientiæ modo alios criminantur. Utinam vero pauca hæc offenſione & invidia careant; & quemadmodum ego operam omnem curamque adhibebo, nequid vere ſuſpicioſum ſit, ita qui me audiunt, nihil ſuſpicioſum faciant.

Habete jam ipſa Ariſtotelis verba, quæ noſtræ huic exercitationi materiam præbent, ex lib. Topic. I. cap. XI. Οὐ δεῖ πᾶν πρόβλημα, οὐδὲ πᾶσαν θέσιν ἐπισκοπεῖν. ἀλλ' ἣν ἀπορήσειεν ἄν τις τῶν λόγου δεομένων, καὶ μὴ κολάσεως, ἢ αἰσθήσεως· Οἱ μὲν γὰρ ἀ-

πορῦντες, κότερον δεῖ τοὺς θεοὺς τιμᾶν, καὶ τοὺς γονεῖς ἀγαπᾷν, ἢ οὔ, κολάσεως δέονται. οἱ δὲ πότερον ἡ χιὼν λευκὴ, ἢ οὔ, αἰσθήσεως. Οὐδὲ δὴ ὧν συνέγγυς ἡ ἀπόδειξις, οὐδὲ ὧν λίαν πόῤῥω. Τὰ μὲν γὰρ οὐκ ἔχει ἀπορίαν, τὰ δὲ πλείω, ἢ κατὰ γυμναστικήν. h. e. *Non oportet omnia problemata, neque theſes omnes examinare; ſed eas dumtaxat, de quibus ii dubitent, quibus ratione ſit ſatis, non punitione, aut ſenſu. Nam qui ambigunt, utrum Dii colendi ſint, & parentes diligendi, necne, punitione digni ſunt; qui vero dubitant, utrum nix ſit alba, an non, ſenſu indigent. Porro neque de rebus illis quærere oportet, quarum prompta demonſtratio eſt; neque de illis, quarum valde remota. Etenim priores quidem nullam dubitationem afferunt; poſteriores majorem afferunt, quam capere poteſt hujuſmodi exercitatio.* Ordine igitur articulum hunc expoſituri, videbimus primo, quatenus de Dei cultu, & amore parentum quæri poſſit; deinde liceatne in quæſtionem vocare, quæ ſenſibus percipiuntur; poſtremo quid de illis ſentiendum ſit, qui vel nimis plana & explicata, vel nimis recondita & implicata ſuis diſputationibus agitant.

I. Nemo eſt, qui neſciat, Socratem Academicæ familiæ parentem & auctorem, quod de Diis eorumque cultu paullo liberius diſſeruiſſet, cicuta fuiſſe ſublatum; Pitagoræ libros, in quibus quærebatur, num Dii eſſent, publice crematos fuiſſe, ipſumque exilio punitum; denique Stilponem, cum de Minerva, ejuſque patre captioſe quærendo luſiſſet, poſtulatum impietatis apud Areopagitas fuiſſe, & Athenis expulſum. Illud autem permirum mihi videtur, Ethnicæ religionis cultores noluiſſe de Diis ſuis quæſtiones inſtitui, atque adeo gravi ſupplicio in eos animadvertiſſe, qui tale quippiam moverent; nos autem vera religione imbutos tam multas de maximis minimiſque religionis capitibus more Dialectico diſputationes habere, ut ad has prope unas

do-

doctorum hominum conciones identidem advocentur. Hinc vulgo percrebuit, fortaſſe injuria, ſed tamen ita percrebuit, Theologos iſtos tam pugnaces nihil eorum credere, de quibus pugnant: quia, ut eſt in Syri Mimis, *nimium altercando veritas amittitur*. Nemo illorum, ut credere par eſt, conſilio tam improbo certamen init: ſed tamen ipſo certandi impetu fit, & inſita quadam humanis ingeniis victoriæ cupiditate, ut nos nobis in fallaciis acute inventis nimium placeamus; &, modo adverſarium percellant, tantum illis, quantum veritati, tribuamus. Id porro cum ſemel, iterum, ac ſæpius fecimus, ſubit animum nimia quædam repugnandi libido, ut vix quippiam eſſe putemus, quod non poſſit a nobis callida oratione & argumentis everti. In hoc autem ipſorum Theologorum diſcrimine nolite quærere, quid illis contingat, qui Theologi non ſunt, ubi ſeſe Theologicis controverſiis temere immiſcuerunt. Quam avide legunt, utrum Deus ſit, an non; ſitne unus, an multiplex; ſitne mundi pars, an mundus, an extra mundum; numquid humana curet, an ipſe quoque fato teneatur; num ſit ore laudandus; num ſacrificiis colendus; omnino præſtet ne religionem eſſe, an non eſſe. Fateor equidem, nihil demum conſtitui a ſanis diſputatoribus, qui iſta ponunt, & interdum etiam vernaculo ſermoni mandant, quod jure damnari poſſit: interim tamen qui vitiis implicati, cupiunt nihil eſſe ſupra naturam quod reformident, ut ſunt affecti, ita judicant; rati plurimum eſſe momenti, ubi non eſt; illoſque ipſos, qui hæc tractant, non ita ſentire animo, ut verbo profitentur, ſed metu legum & magiſtratuum callide tegere quod ſentiant. Jam vero cum illa, quæ prima habentur, labare cœperunt, intelligitis quo animi ſenſu de reliquis diſputent, de natura animæ, de ejus immortalitate, de bonis maliſque ſpiritibus, de inferorum pœnis,

de cæleſti patria. Pleraque metiuntur ingenio ſuo: Velim nobis Socrates Platonicus exemplo ſit. Is enim in Gorgia, & in Convivio de amore profitetur, ſe iis quæ de anima, de Diis, de Dæmonibus a Diotima fatidica muliere cognoviſſet, fidem libentius adhibere, quam ullis vel clariſſimis rationibus; ſeque dare operam, ut aliis omnibus eadem perſuadeat, quæ auribus dumtaxat accepta, crederet eſſe veriſſima. Numa quoque, vir ut in illa ætate ſapientiſſimus, cum ſacra Romanis dare vellet, ne cui liberum eſſet rationem poſcere, ad eamque myſteria exigere, ſimulavit ſibi cum Dea Ægeria nocturnos congreſſus eſſe, ejuſque monitu & conſilio cuncta facere, ut eſt in libro Livianæ hiſtor. 1. c. 19. Ajunt, ne Turcas quidem, aut Perſas de divino cultu & religionis arcanis inter ſe diſſerere; ſed ſiquid forte ex hoc genere incidit, quod conſulto indigeat, ex ore pendere Antiſtitis ſummi; ipſum autem non rationibus, ſed verbo decernere. Nos ſcilicet uni nobis licere volumus de tota religione quærere, diſputare, arguere, rationes rationibus, auctoritates auctoritatibus opponere; ſatis ſuperque modeſti, ſi non publice, quod vetat Juſtinianus in titulo primo Codicis, contendamus.

Quid quod ne pudori quidem interdum conſulitur? Mitto quæſtiones, quas notat Eraſmus in moriæ Encomio, titulo ipſo partim frigidas, partim impias: at videnturne illæ vobis probandæ, quas ponunt Theologi fama integra, de tota Chriſti Domini generatione, de materia, de loco, de modo, de inſtrumentis ſingulis, quibus myſterium hoc, nulla cogitatione aſſequendum, in puriſſimo Virginis utero peractum eſt? Vidi ego aliquando quæſtiones iſtiuſmodi, & pro levi quadam humani ingenii cura etiam legi: nunc ætate & rerum experientia admonitus ne nominare quidem auſim. Neque vero qui tam alte rima-

rimari cœperunt, contineri ullis finibus poſſunt. De toto illo ſacratiſſimi corporis habitu, ſtatura, forma, partibus curioſe diſceptant; & quidquid offendunt paullo obſcurius, quæſtiunculis nihil profuturis enucleant. Qua in re & illi graviſſime peccant, qui minus pie religioſeque ſtatuunt; nec illi culpa carent, qui animo ceteroquin minime malo talia movent, & in varias opiniones trahunt. Fines nobis Seneca conſtituat (vir, ut a D. Hieronymo dicitur, multis Chriſtianis ſanctior) qui in lib. 7. natur. quæſt. c. 30. Ariſtotelis teſtimonio & auctoritate uſus, jubet nos in rebus quidem omnibus eſſe verecundos, *nunquam tamen verecundiores, quam cum de Diis agitur*. Quod ſi naturæ noſtræ ſciendi cupidiſſimæ indulgere volumus ut quærat, num illud quoque indulgebimus, ut ſine modo quærat? *Altiora te* (inquit Sapiens Eccleſ. c. 3. v. 22.) *ne quæſieris; & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa ſemper cogita; & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus*. Hac in re D. Auguſtinus eos arguit, qui voluntatis peccantis cauſſam quærunt, in lib. 3. de lib. arbitr. c. 17. *Quoniam voluntas eſt cauſſa peccati, tu autem cauſſam ipſius voluntatis inquiris, ſi hanc invenire potueris, nonne cauſſam etiam ejus cauſſæ, quæ inventa fuerit, quæſiturus es? Et quis erit quærendi modus? qui finis percunctandi ac diſſerendi? cum te ultra radicem nihil quærere oporteat*. Et paullo poſt, cum ſtatuiſſet, improbam voluntatem omnium malorum radicem eſſe, ita concludit: *Tu ſi hujus radicis cauſſam requiris, quomodo erit iſta radix omnium malorum? Illa enim erit, quæ cauſſa hujus eſt: quam cum inveneris, ut dixi, etiam ipſius cauſſam quæſiturus es, & quærendi nullum habebis modum*.

Poſt Deum Ariſtoteles ſtatim Parentes memorat, quibus debita officia ſiquis in controverſiam vocat, hoc ipſo pietatem lædit, & hominem quo-

dammodo exuit. Hominem dico? Belluæ ipſæ tantæ hujus conjunctionis vim naturaliter ſentiunt, & ſignis non levibus interdum manifeſtant. Ad Parentes proxime accedit Patria, & Princeps, cui ſubjicimur. Non enim quærere licet, utrum Patria ſit defendenda; num Principi legibuſque parere oporteat. Hæc ſiquis non facit, ſtatim in noxa eſt: qui autem quærit, num ſint facienda, ægre videtur facere, & locum ſuſpicioni dat. Inter Minois decreta illud in primis laudat Plato lib. 1. de Legib. p. m. 634. quo ſuos vetabat de legibus diſputare, quippe non humana, ſed divina auctoritate conſtitutis. Hac de cauſſa eas ſibi ab Jove fuiſſe traditas Cretenſibus perſuaſerat; fortaſſe quod ex ſacris Hebræorum littteris didiciſſet, quæ Moyſi primo omnium legislatori revera contigerant. Hoc exemplum ſecuti ſunt legislatores ſubinde alii, Lycurgus, Draco, Solon, Charondas, Zaleucus, ad Superum fidem & auctoritatem referentes, quidquid præcepiſſent.

Quod ſi non patitur publicæ ſalutis ratio, ut quæramus, num violari poſſit, quod ad Deum auctorem refertur; quo tandem ſupplicio digni erunt, qui naturam ipſam divinam & providentiam in diſputationem quaſique judicium adducunt? Lubet enim rurſus primum illud urgere, quod maxime ad rem pertinet. Non ignoro, quibus ſe quaſi velis & involucris tegant. Ajunt, diſplicere ſibi Epicureos, Obbeſianos, Spinoziſtas; velle ſe inviſum Superis gregem debilitare & opprimere diſputando. Ego vero metuo, ne nimis placeant: non dico omnibus, ſed illis quidem certe, qui ſine cauſſa in hanc contentionem veniunt. Quanto melius erat monſtra hæc ignorare, quam vincere? Vivant per me licet, & valeant, modo in latebris ſuis. Vulgo perſuaſum ſit, ad hoc impietatis faſtigium pergi non poſſe, vel pergentibus deeſſe ducem. Cum enim hominis

his natura ad licentiam prona ſummi judicii metum deponere identidem conetur, facile eſt ſuadere cupienti. Accedit illud etiam, quod veritas, quæ in ſublimi poſita eſt, ingenii acumen & rectum judicium poſcit; animus autem vitiis æger proxima quæque arripit. Hinc lues, quæ per omnes ætates, mota camarina hac, non paucos infecit.

II. Sed jam ſatis eſt argumenti, cur problemata illa tangere non debeamus, quæ ſiquis tangat, in crimen venit; nunc ad illa properemus, quæ qui tangit, ſenſu carere dicitur. Ariſtoteles exempli loco quæſtionem affert, ſitne nix alba, an non. Attamen Anaxagoras, non Sophiſtes aliquis, ut ait Cicero in quarto Academico, ſed Philoſophus maxima gravitatis & ingenii gloria, *albam eſſe nivem non modo negabat, ſed ſibi, qui ſciret aquam nigram eſſe, unde illa concreta eſſet, albam ipſam eſſe ne videri quidem aiebat*. Haud equidem dubito, quin Ariſtoteles conſulto notaverit Anaxagoram, qui per hujuſmodi fallacias ad naturam cognoſcendam nihil proficeret. Similes Anaxagoræ erant, qui quærebant, num eſſet motus; num aliquid gigneretur? num homines cornua haberent: qui quidem vel ſenſu refellebantur, vel irriſione, ut refert Sextus Empiricus Pyrron. hypoth. l. 2. c. 22. Cum enim diſputare nihil ſit aliud, quam ignotum ex noto argumentando patefacere, oportet eſſe principium aliquod ratum ac firmum, in quod deſinant argumenta omnia. Principium hoc in ſchola Peripatetica ſenſus eſt, unde omnis vis, origo, & cauſſa ſcientiæ: cui ſenſui ſiquis minus credit, quam Sophiſtarum argumentationibus, ipſe ſe in ambages ſtulte conjicit nullum exitum habituras. Quod ſiquis roget, quid ex more atque inſtituto Peripatetico reſponderi debeat talia ponentibus ad diſſerendum, præſto eſt Ariſtoteles ipſe; qui interrogatus aliquando, ut refert Diogenes Laertius

tius in ejus Vita, cur ea, quæ pulcra ſunt, diutius nos detineant, *hæc vero* (inquit) *cœci interrogatio eſt*. Quod ſenſu dijudicatur, vacat controverſia; & ſiquis nihilominus in controverſiam vocet, is ſenſu vacare dicendus eſt. Idem prorſus docuit Ariſtoteles, cum de quæſtionibus Analyticis diſputaret in cap. 2. lib. 2. Poſter. ubi ait, nullam fore de Lunæ eclipſi controverſiam, ſi homini liceret ad Lunam aſcendere; ſuiſque oculis cerneret, inter ipſam & Solem interjici aliquando terram, ejuſque interjectu Lunam obſcurari. Quamquam major quædam ratio eſt Analytico excludendi ſenſum, cujus tota vis in ſingularibus percipiendis poſita eſt. Siquidem Analyticæ quæſtiones per demonſtrationem ſolvendæ ſunt; demonſtratio autem non capit niſi univerſalia.

III. Tertium reſtat quæſtionum genus, quæ poni non debent, ſi ratio, qua ſolvi poſſunt, valde prompta & facilis eſt, vel difficilis ac remota: ὧν συνέγγυς ἡ ἀπόδειξις, ἢ λίαν πόρρω. Quod attinet ad partem primam, non eſt opus Dialecticis contentionibus, ubi veritas facile apparet: quin etiam videndum, ne inter argumenta temere circa illam coacervata, quam ipſa per ſe habet, lucem amittat. Quod caret difficultate, ſimul admiratione caret; & qui ſtatim videt id quod in re potiſſimum eſt, ad eamque expediendam valet, ludi ſe verboſis interrogatiunculis putat. At enim Ariſtoteles ab hujuſmodi quæſtionibus non abhorruit, ut ſcribit Nizolius in lib. 1. de veris princip. c. 1. Quid enim (inquit) poteſt facilius demonſtrari, quam quod vel in Phyſicis quærit, *num omnia ſint unum*, vel in Metaphyſicis, *num idem poſſit eſſe, ac non eſſe*? Ego vero quod affert Ariſtoteles in primo Phyſico adverſus Parmenidem & Meliſſum, qui volebant omnia eſſe unum; non ita vulgare & expoſitum cenſeo, ut infra dignitatem Philoſophi

ſit;

ſit ; nec opinio iſta de una rerum omnium natura ita aperte falſa eſt , ut ab eo , qui de rerum principiis & elementis agere inſtituerat , poſſet bona cum venia præteriri . Inventi ſunt etiam poſt Ariſtotelem nonnulli, qui veteres illos Phyſicos ſequi maluerunt . Cum autem diſputatur in quarto metaphyſico, cap. 3. & 4. adverſus Heraclitum , ut palam fiat , idem non poſſe ſimul eſſe , ac non eſſe , id jure fit ſupremæ diſciplinæ , quæ ceterarum principia & effata ſimplicia extra aleam ponere debet . Hoc porro nobiliſſimum omnium principium eſt , cui tanquam ſaxo Sophiſtarum fallaciæ vario modo jactatæ demum illiduntur ; quod unum ſi diſputantibus deſit , nullus ſit diſputandi finis . Quapropter hoc in primis Ariſtoteles aperiendum & firmandum exiſtimavit , non quidem demonſtratione , quam neque poſtulat , neque capit , ſed Dialecticis rationibus , quæ initio Topici primi ad diſciplinarum principia illuſtranda idoneæ dicuntur . Ceterum ea quæſtionum genera , quæ levem & garrulum diſputatorem oſtendunt , & vitavit ipſe , & vitari ab aliis voluit , non Dialecticis modo , quod hic præcipit , ſed etiam Oratoribus, ut eſt in lib. Rhetor. 2. t. 543.

Quod ſi ex altera parte quæſtio incidat , cujus demonſtratio a communi intelligentia valde remota ſit, operamque nimiam poſcat ; in ſe Dialecticus deſcendat , nolitque *majores nido pennas extendere* . Qui Dialecticum audituri conveniunt , planius aliquid ab eo requirunt , quam ab Analytico , ſibique injuriam quodammodo fieri putant , ſi ex intimis Philoſophiæ penetralibus quæſtiones ducat , quas demum per communia quædam ſigna & argumenta leviter tractet . Vix illos ferre poſſumus , qui per propria & neceſſaria acute diſputant , ſi in quæſtionibus verſentur nimis abditis ac retruſis : num Dialecticum feremus , qui ad has accedere auſit , ſeque in tam

diffi-

difficili campo velitando exerceat? Vitium hoc vocat Ariſtoteles ἀπαιδευσίαν, cum rerum genera ſcite non diſtinguuntur, ſed turbatis diſciplinarum finibus, alia in aliam temere infertur. Quamobrem ſua ſibi problemata Dialecticus habeat, hiſque contentus ſit; ne aut garrulus inter vulgaria, aut inter recondita ἀπαίδευτος videatur.

Hactenus ex Ariſtotele. Nicolaus Malebranchius (quem ego Ariſtoteli non conjungerem, niſi magnum Philoſophum, & loco dignum exiſtimarem) in lib. 2. de inquir. verit. p. 2. c. 6. eos reprehendit, qui quæſtionem inſtituunt de hujus, vel illius Scriptoris opinione, ut puta, quid ſenſerit Ariſtoteles de animæ humanæ natura; mortalem ne fecerit, an immortalem. Vanum hoc ineptumque vocat; multiſque verbis traducit, & male mulcat viros ceteroquin doctos & graves, qui in ejuſmodi controverſiis ſtilum exercuerunt. Sed vir tantus non reputavit, quid interſit inter neceſſaria, & probabilia. Siquis teſtimonia & auctoritates exquireret in iis controverſiis, quæ neceſſariis argumentis ſolvi poſſunt, fruſtra laboraret: at qui de re diſputat, quæ rationes non capit niſi probabiles, non debet hominum judicia contemnere, in quibus tota probabilitatis natura ſita eſt. Etenim probabile nihil eſt aliud, ut docet Ariſtoteles lib. 1. Topic. c. 1. quam *quod videtur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus*; & quiquid eſt hujus generis, modo ab eo dicitur τὸ δόκοῦν, modo τὸ φαινόμενον, modo τὸ εἰωθός, modo τὸ λεγόμενον. Veritas igitur a rei natura pendet, probabilitas ab hominum judicio: ubi verum inveniri poteſt, res ipſa excutienda eſt; ubi probabile dumtaxat, homines conſulere oportet. Animæ immortalitatem ſiquis mihi rebus

bus neceſſariis demonſtrare poteſt, nihil amplius quæro; at ſi per probabilia inveſtiganda eſt, cur mihi turpe erit quærere, quid Ariſtoteles, quid Plato, quid Cicero, quid Seneca, quid alii ſapientes viri de illa judicaverint? In re aliunde certiſſima, ſed ſcholis Philoſophicis non plane explorata & perſpecta, nonne ego Peripateticus valde profeci, ſi Ducem meum, id quod res eſt, vidiſſe oſtendam? Et ſiquis mihi ejus auctoritatem auferre poteſt, nonne magnum vulnus infligit cauſſæ meæ? Hæc eſt enim, ut modo dixi, probabilitatis natura & ratio, ut quaſi ſuffragiis conſtet; nec tam per inſita creſcat, quam per aſſumpta. Quamquam, ſi recte conjicio, iccirco indignationem movent Malebranchio, qui hominum opiniones inveſtigant, ac pro illis pugnant, quia fere in re hac nimii ſunt. Et hactenus quidem ſapit, recteque judicat: ſed quæ eſt humani ingenii infirmitas, ipſe quoque impetu quodam in contraria currit, & probabilitatem tollit.

Redeamus ad Ariſtotelem; & cum ex ejus doctrina ſatis jam manifeſtum fecerimus, quid ſit, de quo quærere ac diſputare Dialecticus non debeat, nunc provinciam illi, quam jure teneat, aſſignemus. Id faciemus perendie, ſed verbis paucis; ut, quod muneris noſtri eſt, ad librum Poſteriorum Analyticorum ſecundum quam citiſſime veniamus. Illud autem mature monendum puto, nequid in re hac planum & facile expectetis. Tota ſane Analytica doctrina incredibili acumine ingenii ab Ariſtotele ſcripta eſt: at liber hic a communi intelligentia tam longe abeſt, ut quæ princeps ſit ejus materia, quave ratione ejus partes ſibi inter ſe reſpondeant, nondum potuerit uno conſenſu ab interpretibus conſti-

ſti-

ſtitui . Hic fortaſſe illis faciemus ſatis , qui non modo nitorem & elegantiam in Logico damnant , ſed ipſam quoque perſpicuitatem criminis loco objicere audent , quod diſciplinarum arcana vulganda non ſint . Interim Deus illis bonam mentem .

DE EPICHIREMATE.

ACROASIS XI.

HABITA

XIV. KAL. FEBR. MDCCXL.

EXpoſita Demoſtratione, iiſque omnibus, quæ ad Analyticum ſyllogiſmum pertinere viſa ſunt, quod erat officii noſtri; ſuccedit ordine, & jure quaſi quodam affinitatis Dialecticus. Huic ego tantum operæ tribuam, quantum mihi ad docendum ſupereſt, hoc eſt hodiernam ſcholam: non ut muneri ſatisfaciam (qui enim poteſt hora una?) ſed ut univerſam diſputandi artem bona cum gratia dimittam. Dialecticæ argumentationis forma Epichirema eſt, quæ vox aggreſſionem ſignificat, a Græco ἐπιχειρεῖν. Itaque ars Epichirematica vocatur ab Alcinoo in Inſtitut. ad doctrinam Platon. c. 3. ea Logicæ pars, quæ opponitur Apodicticæ: quia quod propoſitum eſt, non firma & neceſſaria ratione demonſtrat, ſed argumentorum contentione in partem utramque probabile facit. Quo pertinet illud Quintiliani lib. 5. Inſtit. c. 10. *Apodixis eſt evidens probatio. Hanc ab Epichiremate differre Cæcilius putat ſolo genere concluſionis, & eſſe apodixim imperfectam Epichirema.* Diſcrimen igitur poſitum eſt in modo concludendi. Nam apodixis vera efficit veris, Epichirema credibilia credibilibus. Et Quinctilianus quidem de Epichiremate loquitur tamquam de inſtrumento Rhetorico, cum re vera Dialecticum ſit, ut docet ſummus harum rerum magiſter Ariſtoteles in lib.

To-

Topic. 8. c. 11. φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἐπιδεικτικός, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός. *Philoſophema ſyllogiſmus Epidicticus eſt, Epichirema autem ſyllogiſmus Dialecticus* : Cum dicitur ſyllogiſmus, apparet, quas habere partes debeat: attamen viri doctiſſimi affirmare non dubitarunt, Epichirema modo quatuor conſtare partibus, modo quinque; addita videlicet vel propoſitioni, vel aſſumptioni, vel utrique probatione. Miror, cur non plures quinque conſtituant partes: ſiquidem nihil repugnat, quin probationi ipſi probationem addant; & ſic porro pergant velut inædificando & apponendo, quamdiu libet, & patitur controverſia. Et ſane non defuere, qui numerum augerent, ut eſt apud eumdem Quinctilianum l. 5. Inſtit. c. 14. *Epichirematos & quatuor, & quinque, & ſex etiam factæ ſunt partes a quibuſdam*. Concedamus hoc Rhetori, qui craſſa Minerva de arte diſſerit: totamque argumenti tractationem, confirmationem, expolitionem pro re una eademque ſumit, & Epichirema vocat. Quid enim aliud ſignificant illa apud Caſſiodorum in Rhetoricæ Compendio p. m. 576. *Epichirema eſt deſcendens de ratiocinatione latior excurſio Rhetorici ſyllogiſmi, latitudine diſtans & productione ſermonis a Dialecticis ſyllogiſmis*? Sumpſit Caſſiodorus a Curio Fortunatiano, qui in lib. Rhetor. 2. Epichirema vocat interdum ipſam propoſitionis, vel aſſumptionis probationem, interdum latiorem excurſionem, interdum etiam abſolutam quamdam argumentationem, quæ modo tripertita ſit, modo quadripertita, modo quinquepertita; qualem deſcribit Cornificius, & Cicero de Invent. l. 1. c. 34. Tametſi horum quidem neuter Epichirematis nomen uſurpat; id tantum docent, argumentationem illam, quæ ratiocinando ab Oratore tractatur, ut plena ſit & abſoluta, non ſuis modo partibus, ſed partium approbationibus, ubi opus eſt, conſtare debere. Ita enim eſt in lib. ad Herenn. 2. c. 18.

Ab-

Abſolutiſſima & perfectiſſima argumentatio eſt ea, quæ in quinque partes eſt diſtributa; propoſitionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Hoc totum alii bene multi Epichirema vocarunt; ipſaque partium copia & magnitudine ab Enthymemate diſtinxerunt, quæ brevis quædam ſententia eſt ratione concluſa. Diſcrimen hujuſmodi ſpectavit Seneca, cum ſcripſit in Præfat. lib. 1. Controverſ. *Solebat Latro hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil præter Epichiremata ſcriberet, aliquo die nihil præter Enthymemata.* Quamquam utrumque nomen ad idem argumenti genus, hoc eſt ad quamlibet artificioſam probationem Rhetores ſæpe transferunt, & alterum pro altero promiſcue uſurpant.

Ad noſtros redeamus. Non eſt Epichirema argumentationis forma a ſyllogiſmi forma diſtincta, ſed eſt ſyllogiſmus Dialecticus, ad diſputandum in partem utramque per probabilia comparatus: qua ratione verbum ipſum ἐπιχειρεῖν adhibetur a Diogene Laertio, a Themiſtio, ab Alexandro Aphrodiſienſi, & quod in primis apud nos valet, ab Ariſtotele. Quia vero probabilia, ſi nuda ſint, parum proficiunt, ſolent fere per ſingulas partes aliis atque aliis rationibus fulciri ac dilatari. Hæ porro rationes non tam novæ ejuſdem argumenti partes dicendæ ſunt, quam nova argumenta; nec jam unum, ſi recte judicamus; ſed plures conſtituunt ſyllogiſmos in unam aggreſſionem coacervatos. Nolim, vos ſcholæ noſtræ proceres docti & acuti, ſed tamen homines, auctoritate moveant; nolim, conſuetudo tranſverſos agat; nolim, ignava quædam verecundia dediſcendi, quod didiciſtis, in veteri perſuaſione retineat. Videte, quid ſit in re ipſa veri. Mihi quidem certum eſt, unam eſſe argumentationis formam, quæ nec partes habere poteſt pauciores tribus, neque plures: quarum prima eſt intentio, ut a Quinctiliano nominatur, ſecunda aſſumptio, tertia connexio. Rationem,

confirmationem, exornationem ſiquis addat, quoquo modo addat, non partium numerum augebit, ſed partes illas tres novis membris ad robur & illuſtrationem amplificabit.

Hactenus forma Epichirematis explicata, ad materiam veniamus. Hoc nomine intelligimus enunciata probabilia, quorum vim & rationem ab hominum judiciis Ariſtoteles ducit. *Probabile eſt*, inquit in lib. 1. Topic. c. 1. *quod videtur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus; atque his quidem vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & claris*. Primum igitur hoc in genere gradum occupat, quod probatur omnibus. Difficile eſt enim omnes homines errare. *Omnium conſenſus*, inquit Cicero in Tuſcul. 1. c. 15. *naturæ vox eſt*. Cui accedit magnus ceteroquin multitudinis contemptor Seneca epiſt. 117. *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri*. Hanc philoſophandi viam ſecutus videtur in primis Heraclitus, qui rationem communem faciebat veri regulam, eamque divinam appellabat. Porro rationem communem & divinam aeri circumfuſo inſitam eſſe arbitrabatur: cujus opinionis ſemina apud Homerum quoque & Euripidem inveniremus, ſi nobis propoſitum eſſet non eam referre modo, ſed confirmare. Hinc Æneſidemus, ejuſdem ſectæ Philoſophus, ajebat verum dici ἀληθὲς, quaſi *minime latens*, quod communiter omnibus appareat. Peripatetici noſtri communi opinioni tantum tribuunt, quantum proxime poſt naturæ veritatem tribui poteſt. Secundus probabilitatis gradus in eo eſt, quod videtur plurimis. Facilius enim eſt errare paucos, quam multos; facilius multos, quam plnrimos, ſi cetera ſint paria. Negat Sextus Empir. l. 1. Pyrrhon. Hypoth. c. 14. & l. 1. adverſ. Logic. n. 327. certo cognoſci poſſe, utra ex parte ſint plurimi, & quo revera inclinent. Verumtamen hac in re non certa cognitio requiritur, ſed qualibet popularis ſatis eſt. Gravius

vi-

videtur, quod ait Seneca de Beata Vita c. 2. *Plures eſſe deteriores, nec tam bene cum rebus humanis agi, ut meliora pluribus placeant.* Sed Philoſophus hic ubique veri formam perfectiſſimam quærit ex diſciplina Stoica; Dialectici noſtri nihilo plus, quam ſimilia veri. Tertius probabilitatis gradus eſt, ſiquid videatur ſapientibus. Nam cum ſapientes nihil temere faciant, graves exiſtimandæ ſunt rationes, qnibus moventur. Illud tamen monere volumus, non ita facile decerni poſſe, quid ſit id, quod videtur ſapientibus, & quinam revera ſapientes ſint. *Statuere enim, quis ſit ſapiens, vel maxime videtur eſſe ſapientis*, ut ſcribit Cicero in 4. Academ. c. 3. Itaque ſtatim peti poteſt, quanam ex ſchola ſumendi Sapientes ſint, utrum ex Peripatetica, an ex Stoica, an ex Epicurea: quæ ſcholæ ita inter ſe pugnant, ut qui eſt ſapiens uni, ſit aliis inſipiens. Adde, quod in una eademque ſchola infiniti ſapientiæ gradus ſunt; nec quiſquam ita eſt ſapiens, ut non alius poſſit eſſe ſapientior: quo ſit, ut judicium poſteritatis in re tam dubia & ancipiti expectari debeat; ſi eos ſequi velimus, qui ſint maxime præſtantes, ut requirit Ariſtoteles. Sed fac, inventum eſſe illum, qui omnes ſapientia ſuperet, qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt, adhuc tamen fidem non meretur; quia neſcimus, utrum ex animo ita ſentiat, ut profitetur, an vero ad ingenium oſtendendum fallere velit. Neque enim Gorgias ex. gr. videtur ex animo dixiſſe, nihil eſſe in rerum natura quod ſit; Nauſiphanes nihil magis eſſe, quam non eſſe; Parmenides nihil gigni; Zeno nihil moveri. Hac de cauſſa, niſi fallor, Ariſtoteles quoque, cum dixiſſet in cap. 1. illud eſſe probabile, quod ſapienti videtur, exceptionem addit in cap. 10. modo quod ſapienti videtur, non repugnet communi hominum opinioni. Tunc enim ſapiens ludere creditur in ambiguo ad ingenium exercendum. Et quia interdum ſapientes cum ſapientibus pugnant, ut paullo ante

 ſigni-

ſignificavimus, hos ipſos gradibus diſtinguit Ariſtoteles; jubetque omnes conſuli, ſi fieri poſſit; ſin minus, plurimos; aut ſaltem clariſſimum quemque. Hinc menſura omnis eorum probabilium petenda eſt, quæ primam veluti claſſem conſtituunt.

Tra inſuper genera ordinis deterioris recenſet Ariſtoteles in eodem lib. c. 10. Etenim probabile eſt etiam illud, quod eſt probabili ſimile: verbigratia ſi probabile eſt, mare ſine portu navibus eſſe intutum, probabile eſt etiam animum ſine fide ſtabilem amicis eſſe non poſſe. Præterea probabile dicitur, quod eſt probabili contrarium: verbigratia ſi iis, qui imprudentes læſerunt, ignoſci convenit, iis qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ipſa autem contraria non faciunt argumentum, niſi quatenus habent inter ſe ſimilitudinem quamdam. Atque hic quidem ſimilitudo eſt non rei, ſed animorum. Nam ſi ille imprudenter obfuit, hic imprudenter profuit; neqne ille voluit obeſſe, neque hic prodeſſe: proindeque ſi pœna non debetur illi, qui nolens læſit, non debetur gratia illi, qui nolens juvit. Poſtremo probabile eſt in arte aliqua, quod a peritis ejus artis aſſeritur. Hinc dici ſolet, credendum eſſe cuique in arte ſua. Ex quo genere eſt illud Ciceronis in lib. 2. Offic. cap. ult. *De quærenda & collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibuſdam optimis viris ad medium Janum ſedentibus, quam ab ullis Philoſophis ulla in ſchola diſputatur.*

Verum illud vel maxime cavendum eſt, ne quid ſumamus tamquam probabile, quod hujuſmodi quidem videatur, non tamen re vera ſit: cujuſmodi ſunt illa, quæ nos leviter afficiunt, & falſam quamdam probabilitatis ſpeciem præſeferunt, quæ exui facile poteſt, ut notat Ariſtoteles. Hoc quoque recenſeri ſolet ab iis, qui probabilia omnia in ſua quædam genera dividunt, ſive ſint propria, ſive impropria, ſive Dialectica,

ſive

ſive Sophiſtica. Ita enim partiuntur, ut aliud ſit probabile ſapientibus, ſed vulgo non item, ex. gr. Lunam per ſe non lucere: aliud probabile vulgo, non vero ſapientibus; ut ſolem eſſe pedalem: aliud probabile omnibus, ut pauperes facile mentiri: aliud probabile Sophiſtis dumtaxat, quod fallaciis conſtat ad aſſenſum exprimendum callide compoſitis. Nos poſtremum hoc nullo in numero habemus.

Hic quærat fortaſſe aliquis, num quod natura falſum eſt, inter probabilia referri poſſit, & in diſputando adhiberi. Ita videlicet. Modo enim Dialecticus fidem faciat, nihil laborat, utrum id, per quod fidem facit, verum ſit, an falſum. Id curet Analyticus. Falſum idem & probabile eſt, ſi dicas: Medea non occidit filios, quia mater erat. Falſum, inquam; quia revera occidit: probabile, quia fieri non ſolet, ut matres filios occidant. At ſi dicas, Jaſonem caſum hunc filiorum ſuorum ægerrime tuliſſe; & verum, & probabile profers. Quidam ajunt, ut eſt apud Sextum Empir. lib. 2. adverſ. Rhet. n. 63. aliud eſſe probabile, quod eſt verum, & veri ſpeciem præſefert; aliud quod eſt falſum, ſed verum videtur; aliud quod anceps eſt, verumque inter & falſum quaſi medium, & utrique commune. Nos ex Ariſtotelis noſtri doctrina ita ſtatuimus, in veris eſſe conſenſum inter res & verba; in probabilibus eſſe conſenſum inter verba & opiniones. Itaque probabilia dici vera non poſſunt: neque tamen idcirco dici debent falſa; ſed fieri poteſt, ut & vera & falſa ſint. Illud quoque adjicere volumus, veritatem in re omni eſſe unam; probabilia multa, falſa prope infinita. Itaque prima difficultas eſt veritatis inveniendæ, altera probabilitatis; falſitas ultro ſe ſe offert, volenteſque palam ſequitur, nolentes furtim.

Jam vero illud quoque ſciſcitari a nobis aliquis poteſt, utrum de probabilibus inter Philoſophos conveniat; quandoquidem de veris tam parum

convenit. Hæc ipſa Philoſophiæ pars pro ſectarum varietate diſtrahitur. Et quoniam probabilia dedimus Peripatetica, reliqua perſequamur. Sceptici igitur, ut ab his incipiamus, cum rem nullam magis eſſe, quam non eſſe crederent, paremque fidem viſis omnibus tribuerent, hoc eſt ambiguam; tamen ne prorſus expertes actionis eſſent, probabile quiddam ſe admittere dicebant, quod in vita ſequerentur. Probabile porro appellabant, quod ſenſibus appareret; & hoc volebant eſſe criterium vitæ, omniumque actionum humanarum: quia quod apparet, revera apparet, & apparendo trahit; quamvis dubitari poſſit, num tale ſit, quale apparet. Apparentibus igitur quaſi pertracti, ea quæ ad vitæ munia pertinerent, citra opinionem agebant & citra perſuaſionem, profitentes ſe non aſſentiri, ſed cedere, acquieſcere, non repugnare, omino ut puer ſequitur pædagogum.

Academici cum in tres claſſes dividerentur, Veteres quidem cum Peripateticis noſtris facile conciliantur; Medii autem cum a Scepticis non diſſiderent, ut tradit Sextus Empir. in lib. 1. Pyrrh. Hypoth. c. 33. ipſi quoque vero excluſo, ſequebantur quod appareret, citra aſſenſum & propenſionem: at Novi, quorum dux & auctor Carneades, longius quam ceteri a vero recedentes, probabile tamen firma quadam animi aſſenſione & propenſione admittebant; eaque ſe uti regula dicebant & in agenda vita, & in quærendo, & in differendo. Ejus porro tres gradus faciebant, ut aliud eſſet ſimpliciter probabile, aliud probabile & accurate examinatum, aliud vero etiam inconcuſſum. Sextus Empir. in lib. 1. Pyrrh. Hypoth. c. 33. gradus hos explicat exemplo. Siquis, inquit, in cubiculum ingrediens ſubobſcurum, incidat in funem contortum & involutum, probabilis quædam ſerpentis viſio primo aſpectu ex illo fune oriri poteſt. At ſi circumſpiciat diligenter, quantum loci natura me-

tuſ-

tuſque patitur, remque examinet, viſio funis orietur, quæ dici poteſt probabilis & accurate examinata. Denique ſi funem manibus contrectet, ab omni prorſus errore & ſuſpicione liberabitur, orieturque viſio probabilis, accurate examinata, & inconcuſſa. Sed quia gradum tertium nonnulli ſuſtulerunt tamquam ſupervacuum, placet novo exemplo cnnfirmare. Narrat Euripides in Alceſti, fæminam hanc Herculis opera ab inferis eductam fuiſſe, & Admeto ejus marito reſtitutam. Eam cum vidiſſet Admetus, & accurata quadam conſideratione examinaſſet, probabile viſum judicavit, non tamen dubitationem omnem deponere potuit, & firmam aſſenſionem præbere, niſi multo poſt tempore; quod reputaret, revera Alceſtim mortuam eſſe, eoque profectam, *unde negant redire quemquam*. Ecce vobis quomodo tertius probabilitatis gradus deeſſe aliquando poſſit. Ita autem tres iſti gradus ſibi reſpondent, ut ſecundus ſit validior primo, tertius utroque. Huic novi Academici cum certo propoſito & propenſione aſſentiuntur: ex quo oritur opinio, quam ſapienti quoque tribuere non dubitant, invitis Stoicis, ex quorum doctrina ſapiens non opinatur. Qnidni vero? Oportet, ſapientem quærere, diſſerere, agere aliquid etiam apud Academicos; utatur igitur eorum regula neceſſe eſt, qualiſcumque ea ſit. In eo autem differt ſapiens a non ſapiente, quod hic probabilibus aſſentitur vel primi generis, vel ſaltem ſecundi; ſapiens in tertio dumtaxat probabilium genere conquieſcit. Sed tota hæc doctrina ut plane intelligatur, ad vivum reſecanda eſt. Carneades, ut ſublata veritatis regula, triplicem illam conſtituat probabilitatis, ita diſputat: Si veri regula eſſet aliqua, profecto eſſet affectio quædam mentis, orta ex evidentia earum rerum, quibus mens cietur: quæ quidem affectio Græco nomine φαντασία, Latino viſio dicitur. Sed quoniam affectio hæc ſæpe fallit, tum quia alius alio tempore mentis ſtatus

 eſt,

eſt, tum quiam cuilibet, rei, quæ vera appareat, invenitur aliqua falſa plane ſimilis ; neceſſarium videtur ; in communi quadam veri & falſi viſione regulam collocare : communis autem viſio, hoc ipſo quod communis eſt, diſtincte non comprehendit : non poteſt igitur habere rationem regulæ. Et quod ex tota hac argumentatione conſequitur, nulla eſt veri regula. Excluſa viſione, quæ vera ſit & veri regula, Carneades, ne nihil prorſus agat, aſſumit probabilem ; cui ſubinde addit accurate examinatam, poſtremo vero etiam inconcuſſam. Quo id fundamento faciat, ſic habete. Viſio eſt alicujus viſio, eſt ejus ex quo fit, & ejus in quo fit. Biſariam proinde conſiderari poteſt, quatenus refertur ad rem unde oritur, & quatenus refertur ad hominem in quo eſt. Quatenus refertur ad rem unde oritur, vel vera eſt, vel falſa : vera quoties cum ea conſonat, falſa quoties ab ea diſcrepat. De hoc veritatis genere Metaphyſico Carneades non dubitat, ut colligitur ex 4. Ciceronis Academ. c. 23. *Veri eſſe aliquid non negamus, percipi poſſe negamus*. Quatenus autem refertur ad hominem in quo eſt, alia apparet falſa, alia apparet vera. Excluſa viſione, quæ apparet falſa ; ea, quæ apparet vera, vel eſt parum evidens, vel valde evidens : prima non admittitur a Carneade tamquam regula ; quia quod parum evidens eſt, non valet ad ciendum aſſenſum : ſecunda admittitur tamquam regula differendi & agendi. Sed hæc ipſa trifariam dividitur, hoc eſt in eam, quæ vera eſt, & vera apparet ; in eam, quæ vera non eſt, ſed apparet vera ; in eam, quæ communem quamdam naturam & ſpeciem habet. Tertia nullo in numero habetur : prima, & altera, quæ valde eſt evidens, & vera apparet, probabilis dicitur a Carneade, & habetur tamquam regula. Neque obſtat, quod interdum vera non ſit, modo appareat. Nam judicia & actiones regi non poſſunt, ex hujus ſcholæ ſententia, niſi per id, quod apparet.

Digitized by Google

paret. Viſio igitur probabilis prima eſt Carneadis regula, ſeu primum criterium. Accedit criterium alterum, ſi viſio ſit accurate examinata. Nam Medicus ex. gr. ex arteriarum pulſu probabiliter judicat, Socrati ineſſe febrim: at ſi nimius quidam rubor accedat, calor adurens, ſitis improba, capitis dolor, & ſiqua ſunt alia febris indicia, tum dicitur eſſe in hoc Medici judicio probabilitas accurate examinata. Et quia in hoc ipſo probabilitatis genere gradus quidem ſunt pro modo examinis inſtituti, ea viſio ſumma eſt & fide digniſſima, quæ vocatur inconcuſſa. Ceterum quemadmodum in controverſiis civilibus, cum de parva re quæritur, teſtis unus ſatis eſt; cum de re majoris momenti, plures examinamus; ita ad reliquam vitam quod attinet, in rebus non magni ponderis probabili viſione utimur; in rebus gravioribus probabili & accurate examinata; in graviſſimis probabili, accurate examinata, & inconcuſſa. Ne illud quidem omittit Carneades, interdum neceſſitate quadam fieri, ut probabili dumtaxat utamur viſione; ut ſi quis hoſtes fugiens antrum videat, in quo putet latere inſidias, ſtatim declinat, ſecutus ſine examine quod apparet.

Sed de Academicis probabilibus tam multa diximus, ut vix paullum ſuperſit ſcholæ, quod Stoicis tribuamus. Quemadmodum vera, ita probabilia Stoici ex viſis indicant. Docent igitur, alia eſſe viſa probabilia, alia improbabilia, alia probabilia & improbabilia ſimul, alia nec probabilia nec improbabilia. Probabilia ſunt, quæ facile cient animum ad aſſenſum; ut ſi dicam, voluptatem eſſe bonum: improbabilia, quæ animum ab aſſenſu ſtatim avertunt; ut ſi dicam, honeſtatem uon eſſe bonum: probabilia ſimul & improbabilia, quæ pro varia judiciorum ratione dubia ſunt, facileque oppugnari & propugnari poſſunt; ut formæ corporeæ Peripateticorum: nec probabilia nec improbabilia, quæ nullis firman-

mantur indiciis, nec infirmantur; ut ſi dicam, Stellas eſſe pares numero. Probabilium porro alia ſunt vera, alia falſa, alia ſimul vera & falſa, alia nec vera nec falſa. Vera ſunt, ex quibus vera fit enunciatio; ut cum dico, Solem eſſe majorem terra. Falſa ſunt, ex quibus falſa enunciatio exiſtit; ut cum dico, remum in acqua eſſe fractum, ſicuti appatet]. Vera ſimul & falſa vocant quae oriuntur ex eo, quod eſt, & id referunt, quod non eſt; quale erat viſum Oreſtis apud Euripidem, qui cum videret Electram ſororem ſuam, putabat ſe furiam videre. Nec vera nec falſa ſunt viſa generalia, quae dividuntur in vera & falſa; ut animal in toto genere nec rationale eſt, nec irrationale, quia in utrumque dividitur. Hactenus Stoici.

Ceterum in tam multis, tam variis, tam ingenioſe excogitatis explicandae probabilitatis modis tamen juniores Dialectici conquieſcere non potuerunt. Mittamus turbam, cujus ratio in loco tam gravi habenda non eſt. Petrus Gaſſendus, praemiſſis non levibus in Ariſtotelis probabilia totamque artem Topicam criminationibus, ſuum ſibi probabile conſtituit. Non tamen ſatis Carteſio fecit, nec Malebranchio, quorum uterque alia atque alia reponere conatus eſt. Ab his quoque receſſit Lockius; nec Lockium probavit Clericus, neque Clericum Thomaſius, nec Thomaſium Rudigerus, nec ullum mortalium qui poſtremus in aciem venit, magni vir ingenii multaeque doctrinae, Chriſtianus VVolſius. Horum ſententias non refero, quod eſſet nimis longum: id tamen velim cogitetis, num horum cauſſa in re tam ancipiti defetendi videantur Plato, Ariſtoteles, Zeno, Carneades, Epicurus; quorum poſtremus etiamſi Logicae hoſtis a veteribus habitus ſit, attamen ſi cum his novae notae Logicis comparetur, quaſi Deus quidam Logicorum videri poteſt. Omnia ſcilicet [regit ambitio, & ducendae fa-

familiæ libido. Quærimus nova, non recta. Hæc quoque delebit dies; tandemque prima illa reducet, quæ intermiſſa potius mihi videntur errore hominum, quam conſilio & ratione prætermiſſa.

Nos interim docendi finem facimus, deſinentes voluntate, ut monent vitæ morumque magiſtri, antequam deſinere ætate cogamur.

Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Horat. l. 1. Ep. 1.

Poſt annos admodum ſexdecim, quibus arida hæc & ſalebroſa diſputandi elementa privatim publiceque tradimus, æquum videtur, ut ad noſtra illa mitiorum litterarum ſtudia, velut ad honeſtum otium, vel certe ad minus operoſum negotium, Principis indulgentia regrediamur. Ipſa quoque mecum vaſa colliget, obſecuta temporibus, diſciplina Logica; quæque, ſtantibus nobis & locum hunc ornatiſſimum tenentibus, per ſe ſtetit ac floruit, in ſedes precarias commigrabit, & Metaphyſicæ (quod bene vertat) acceſſio fiet.

Digitized by Google

EPISTOLÆ
ACROASIBUS
PRÆMISSÆ, CUM PRIMO EDITÆ SUNT.

AD ACROASIM I.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

Mirari non debes, qua de re mihi non conſta-re in Oratione ad Dialecticam *anno ſuperiore dixi, eam me nunc tamquam notam explicatamque preferre. Habes hominis ingenui confeſſionem. Cum multa mecum ipſe de Enthymematis natura commentatus eſſem, multa legiſſem, multos interrogaſſem; nondum tamen inveneram, qui me, veluti filo tradito, ex ambagibus duceret, aut exitum oſtenderet. Non deerant ſane Rhetores, qui monerent, Enthymema ex veriſimilibus fieri, & ad perſuadendum pertinere. Quid enim notius, non dicam ejus artis magiſtris, ſed prope parietibus? At quomodo Dialectici repelli poſſent, contendentes Enthymema nihil eſſe aliud, quam Syllogiſmum decurtatum, quacumque re fieret, trahentes illud in jura ſua, armiſque retinentes undique ſumptis, id vero non apparebat. Tandem in ſolo valde lubrico vidi aliquid, ubi pedem ponerem. Prodivi igitur animoſe: atque hoc tamquam auſpicio litterarii curriculi initium feci. Non eſt porro quærendum, cur ea, quæ publice dixi, publicis typis*

com-

commitam : More facio : Amiſimus jam magna ex parte verecundiam illam , quam metus famæ in publicum venientibus objicere ſolet , experti hominum judicia æqua & iniqua . Nunc nobis cavendum eſt potius , ne in ordinem recepti tam ſplendidum & operoſum , non ſatis loco indigni videamur . Vale .

Digitized by Google

AD
ACROASIM II.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

Ecce me iterum Logicis operantem. Vetera moveo, non tamen ita vulgata, ut ſine cauſſa librarios exerceam, eorumque rationibus efficiam. Res porro præſens eſt ejuſmodi, ut multa exempla poſtulare viſa ſit: quæ quidem non ipſe formare volui, ſed ubi potui, ex probatis Scriptoribus ſumpſi; ut non lucem modo, ſed etiam fidem & auctoritatem afferrent; tum etiam ea de cauſſa, ut noſtræ hujus diſciplinæ uſus in iis quoque litteris appareret, quæ nihil minus, quam Dialecticæ judicantur. Quamquam ſimul illud ſpectavi, ut vel ipſis Ariſtotelis inimicis nonnihil indulgerem: quorum ſane princeps Petrus Ramus hæc habet in Animad. Ariſtotelic. pag. 60. Unum video in toto Analyticorum librorum opere vitium maximum: exemplis Poetarum, Oratorum, & excellentium Scriptorum nullis, nec ſuis omnino ullis Ariſtoteles utitur; quibus tamen uti debuerat, ut oſtenderet, artem ſuam ab obſervatione naturæ profectam eſſe. *Hinc fortaſſe fiet, ut qui typorum formam aſpicient, vel paullo plus procedent, me nimiam eruditionem congeſſiſſe judicaturi ſint. Sed qui Diſſertationem legent, & ingenio erunt in his rebus vel mediocriter exercitato, facile intelligent, me neque Polyantheas compilaſſe, neque de ulla re minus, quam de pagina implenda ſollicitum fuiſſe. Nihil gratis poſitum inveniet, qui animum attendet: qui excurret dormitando, etiam in neceſſariis faſtidiet. Sed ſuum quiſque judicium adhibeat. Nos enim noſtra, ut eſt humanum ingenium, fortaſſe nimis blande amplexamur. Vale.*

A D

ACROASIM III.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

L*Ucilius ajebat (ut eſt apud Ciceronem l.* 1. *de Fin. c.* 3.) *ſe non Romanis , ſed Tarentinis ſuis , Conſentinis , & Siculis ſcribere . Facete is quidem : verum fortaſſe etiam callide , ut ſibi curam laboremque minueret . Ego quoque conſtitueram , adoleſcentibus meis , non viris Dialecticam explicare : quod ſane nihilo plus ſtudii requirit , quam quantum ſatis eſt , ut æra procedant . Id ſi animo ſtetiſſet , non erat opus vulgare , quæ ſcriberem . At cito ſenſi , nimis me ad deſidiam , ſpecie quadam modeſtiæ obvolutam , inclinari . Itaque amplius aliquid cogitare cœpi , & ipſe mihi hanc legem impoſui , ut ex Patavino παιδαγωγείῳ in majus quoddam diſcrimen quotannis exirem . Sed cur inquies , tam exiguo libello ? Tanti ne erat , paucis pagellis hominum ſtudia commovere . Tam leve negotium vix diſtat ab otio . Scio hæc dictitari . Sed illud me Callimachi valde terruit , quod refert Athenæus l.* 3. *c.* 1. Ingens volumen ingenti malo ſimile eſt. *Igitur non tam bene cum litteris agitur , ut magnus liber ſit bonus liber . Ne in menſa quidem ea ſunt altilia delicatiſſima , quæ maxima . Num mihi ſoli difficile putas , quod tam multi faciunt , omnia temere fundere , & magna cum ſarcina prodire ? Ferunt , Rinaldinum patrum noſtrorum memoria hæc ipſa in urbe ridere ſolitum Montanarii lucubratiunculas , atque illi objicere volumina ſua . Nunc jam liberatis a ſuſpicione gratiæ & invidiæ hominum*

num

num judiciis , Montanarii opuſcula plurimi quærunt; immanes autem illas Rinaldini moles nemo eſt qui ferre poſſit. Habemus enimvero etiam a Rinaldino particulas quaſdam longe optimas , ſed in nimia illa rerum vulgarium turba obrutæ latent. Accipe, igitur a nobis pauca iſta ; quæ utinam , cum leges , ne judices nimis multa. Malim , te plura deſiderare. Vale.

JOANNI FANTONO

IN TAURINENSI ACADEMIA

Medicæ Artis Profeſſori

AD ACROASIM IV.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

QUæ cauſſa Ciceronem impulit, ut librum de Fato ad Hirtium inſtitueret, eadem illa movit me, ut hanc de Achille diſputationem non τοῖς τυχοῦσι quemadmodum alias conſuevi, ſed tibi Philoſopho homini datam commendatamque vellem. Narrat Macrobius l. 3. c. 16. Ciceronem tali quodam principio uſum: Cum allatus eſſet P. Scipioni accipenſer, piſcis ea ætate in primis rarus & nobilis, cœpit Scipio plures invitare ex iis, qui eum ſalutatum veniebant. At Pontius, qui tum forte cum illo erat, vide, inquit in aurem, Scipio, quid agas: accipenſer iſte paucorum eſt hominum. Hinc magnus ille dicendi & philoſophandi magiſter argumentum ſumpſit, ut arduam & obſcuram περὶ τῶν δυνατῶν diſputationem Hirtio inſcriberet. Ego hinc ſumo, ut hanc περὶ ἀκινησίας non minus ſane difficilem Fantono inſcribam. Nec vero ille magis doctus inter ſuos habitus eſt, quam tu inter tuos, atque adeo inter noſtros: nec fortaſſe major inter illos benevolentia intercedebat, quam ſit inter nos. Niſi quod nos, terrarum intervallo diſtracti, animis dumtaxat conjungimur; illi, cum eadem urbe continerentur, & una ſæpe erant, & alter altero familiariſſime utebatur. Ac ſi, quam ſpinoſa affero, tam etiam longa afferrem, illud quoque mihi excuſandum foret, quod

tuas de rebus medicis exercitationes ad magni Principis valetudinem, & multorum felicitatem comparatas intercipiam: ſed brevitas ipſa veniam meretur. Venio igitur ut Diodorus Dialecticus ad Herophilum Medicum, de quo habes in ipſa Diſſertatione. Sed inter nos facilius conveniet, quam inter illos. Ego enim tibi tantum tribuo, ut ſi ſola auctoritate pugnare velis, me tamen facile patiar, meaſque rationes ſuperari. Vale.

Digitized by Google

JO. BENEDICTO
ZUANNELLO
S. Palatii Magiſtro
AD ACROASIM V.
Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

A*Nno ſuperiore Philoſophum quæſivi, quo veluti manuducente, ſubtilem & obſcuram argumentationem, quæ* Achilles *dicitur, meis ponderibus examinatam publico judicio committerem: nunc mihi Theologus quærendus eſt, cujus nomine & auſpiciis* Ignavam rationem *longe omnium difficillimam in idem diſcrimen adducam. Et hoc quidem eo ſtudioſius facere debeo, quo facilius ac periculoſius offenditur in iis, quæ ſupra nos ſunt, quam in iis, quæ circa nos. Quamvis enim quæſtio, in quam ingredior, Logica ſit; attamen ejus uſus latiſſime patet, ut notat Ammonius ad librum Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας, nec humana modo, ſed etiam divina complectitur. Vides, ſapientiſſime Vir, tametſi nihilo plus dicam, cur te potiſſimum appellem. Niſi forte facit, quominus videas, tua iſta animi moderatio, tanto magis inſignis & admiratione digna, quanto rarius cum ingenti doctrina conjungitur. Non potuiſti ejus oculos declinare, qui in terris poſitus eſt ad hominum ingenia judicanda, Benedictus Pontifex Maximus, qui proinde commendantem non expectavit, ſed ipſe ſponte ſua te in iſto faſtigio collocavit, unde omnibus tamquam e ſpecula appareret, quod ipſe graviſſimis rebus expertus, multo ante cognoverat.*

Judicium tam illuſtre, totique Chriſtiano orbi verendum ego quoque ſequor; idque vel ea de cauſſa libenter facio, quod cum veteri noſtra neceſſitudine recte conjungitur. Majus eſſe aliquid ac ſplendidius oportebat, quo meam hanc erga te voluntatem publice ſignificarem: ſed cum inita diſputatio Theologum poſceret, non judicavi, pulcherrimam occaſionem demerendi tui eſſe mihi deſerendam. Habes totam conſilii mei rationem; quam ſi probabis, ſimul facies, ne illam fruſtra ſuſceperim. Vale.

HERMOLAO

PISANO

PATRITIO VENETO

AD ACROASIM VI.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

QUI *viris principibus exigua munuſcula donant, animi magnitudinem jactare ſolent; quam Deos quoque ipſos in primis ſpectare dicunt. Ego vero tibi, Senator ampliſſime, do, libens atque concedo, ut ex paucis hiſce pagellis, quas vides, non ex animo, qui abditus mortalibus eſt, de meo in te ſtudio & obſervantia conjicias. Enimvero* Piſtilli verſatio, *ſi in titulo inſiſtis, neque te, neque nobis ſatis digna videri poteſt: ſed ſi porro perges, ſub hac illiberali & contempta veluti Sileni forma Deum invenies. Videbis enim, quomodo Dialectica altius aſſurgat; & ipſi quoque religioni interdum præſidio ſit. Conatus ſum paucis multa complecti; & in graviſſima controverſia tale quiddam edere, quod ne homines quidem occupatiſſimos fatigaret. Jam, opinor, didiciſti periculo tuo, cum Bibliothecam inſtrueres, quam multa ſint volumina mole ingenti, in quibus nihil eſt ingens. His præſertim Logica abundat: ſi Logicæ nomine digna eſt, quæ patrum noſtrorum memoria per immanes chartarum offas, abjecto ſordidoque ſermone fartas, in ipſo juventutis flore ingenia corrumpebat. Ætas hæc noſtra cum ceteris diſciplinis, tum Logicæ quoque ſanitatem attulit, non addendo, ſed detrahendo. Verum de re ipſa non opus*

K 3 *eſt*

eſt pluribus. De me autem ſic velim exiſtimes, neminem eſſe unum ad officia reddenda parationem. Itaque occaſionem quæſivi, qua meam erga te voluntatem, tuorum meritorum memorem, publice profiterer. Parum enim differunt ab ingratis, qui beneficia fatentur ſine teſte, & latebras quærunt, ut grates agant. Dum debere ſibi turpe ducunt, inficiantibus paria faciunt. Ego mihi valde honorificum judico; Piſano nomini obſtrictum eſſe, in quod omnia confluxerunt, quæ dare virtus & fortuna poteſt in Urbe domina Patriciæ genti. Jura me Patavinæ Academiæ, ut verum fatear, Aloyſio fratri tuo, Equiti, Procuratori, ac ſtudiorum noſtrorum Præſidi magis obſtringunt: ſed eadem mihi publicæ maieſtatis ſplendorem objiciunt, ne facile accedam. Te vero, humaniſſime Hermolae, & animoſe & libenter adeo, qui depoſita reip. adminiſtrandæ cura, totus quodammodo noſter es; quia te totum libris dediſti. Vix alios ex omni temporum memoria reperiemus, qui ſummis magiſtratibus ſumma omnium approbatione geſtis, denique ætatis veniam petentes, de Bibliotheca paranda cogitaverint; otiumque ipſum ad Urbis ornamentum, & civium ſuorum commodum referre voluerint. Laus hæc tota tua eſt; quæ pro ſæculi felicitate, ut ſperare juvat, exemplo propagabitur. Nos interim eius fructum percipimus, tuamque iſtam operoſam ſenectutem inter literarum bona numeramus. Superi faxint, ut bonum diuturnum ſit. Vale.

JOANNI EMO
PATRITIO VENETO
D. MARCI
PROCURATORI
AD ACROASIM VII.

Epiſtola præmiſſa Editioni primæ.

CUM mecum ipſe reputo, SENATOR PRÆSTANTISSIME, nonnullos reperiri, qui non modo non diſſimulent, ſe obſcuros in dicendo eſſe, ſed etiam profiteantur, & in laudis loco ponant, nihil mihi temere ac ſine præſidio adverſus obſcuritatem movendum arbitror. Alia orationis vitia tuto accuſari poſſunt; quia fere in judicium veniunt ſine patrono, vel patronos habent, qui jam decoxerunt. Obſcuritas accedit magno quodam ſtipata defenſorum agmine, qui fronte obducta triſtique ſupercilio in actorem irruunt, tanto plus clamantes, quanto minus intelliguntur. Ego vero non patiar in hoc diſcrimine alium mihi judicem dari præter te; apud quem tenebriones iſti ne hiſcere quidem audebunt. Tu enim in primis, ſiquis alius, ad perſpicue dicendum natus videris; laudemque hanc non parvis in rebus, aut in populari concione aſſecutus es, ſed in Conſilio orbis terrarum prudentiſſimo & eloquentiſſimo, ubi illa ipſa, quæ ſumma ſunt, copia & aſſiduitate viluerunt. Facilitas hæc aperiendæ ornandæque ſententiæ commendatur ſingulari quadam gravitate & innocentia vitæ, more facili, vultu hilari & explicato, to-

tius denique oris corporiſque habitu ad hanc ipſam dicendi rationem mirifice compoſito. Per hæc ſcilicet Thracem quoque ipſum mulcere potuiſti; primuſque omnium ingenio illi efferato & immani aliquid humanitatis aſperſiſti: ut jam credibile fiat, quod Cicero narrat in primo de Oratore libro, homines per agros & ſilvas ferarum ritu diſperſos, haud aliter quam prudentum virorum oratione ad vitæ cultum & ſocietatem fuiſſe traductos. Hæc ipſa non exigui momenti fuere ad favorem conciliandum Angelo Fratri tuo in eadem Urbem cum eadem dignitate venienti. Quamquam brevi effecit vir ille ſummus, idem belli paciſque artibus inſtructiſſimus, ut uni ſibi deberet omnia; concuſſo præſertim ſub ejus adventum ingenti mutatione rerum Byzantii ſtatu, quotidianis turbis & cædibus incitata plebe, alia ſuper alia molientibus Prætorianis. Sed non eſt hic locus, ut de illo dicam. Imo ne de te quidem; niſi quatenus judicio & exemplo tuo longe ſplendidiſſimo ea confirmas, quæ nos de orationis perſpicuitate hoc libello comprehendimus. Ergo, te duce atque auſpice, quidquid ebulliant obſcuritatis amatores, contemnemus. Habeant ſibi ſuam illam ſermonis majeſtatem & religionem, ut vocant, per tenebras quæſitam; jactent vulgi judicia, mirantis quæ non intelligit. Ego in te uno tantum pono, ut vel errare tecum malim, quam eum iſtis ſapere. Nam error quoque (*ut verbis utar Quinctiliani lib.* 1. *Inſtit. c. 6.*) magnos duces ſequentibus honeſtus eſt. *Vale.*

HIERONYMO
LAGOMARSINO
SOCIETATIS JESU PRESBYTERO
AD ACROASIM VIII.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

Itane vero putas me propoſiti oblitum, quod Iſocratea quædam Logicus homo in vulgus emiſerim? Noſti, opinor, unam eandemque fuiſſe ad Iſocratis uſque ætatem dicendi ac diſputandi quaſi officinam: ut propterea nemini mirum videri debeat, ſi quæ duo, non natura, neque ratione, ſed temporibus diſtracta ſunt, interdum conſociantur, & in priſtinum locum redeunt. At illa malebas, quæ tibi ſuperioribus annis ſalivam moverunt, Inexplicabilia. *Si te iſta delectant, jam plane noſter es. Cave enim credas, quippiam mihi eſſe jucundius, quam quod ingenium acuit, & ad victoriæ laudem per hujuſmodi pugnas tam innocuas accendit. Sunt tamen, quibus hæc ipſa parum arrideant, fato litterarum immutabili, ut nihil ſit a reprehenſione tutum; fere autem reprehendant, qui minus valent. Sive igitur tibi gratum facimus, ſive aliis quibuſdam ingratum, placet nunc* Electram *proferre; quod genus argumenti in Patavina Academia ſub ipſum hujus anni litterarii initium a nobis expoſitum fuit. Qui titulum modo legent, putabunt me rurſus, ut Næviano verbo utar, hetoricare. Quotus enim quiſque didicit, aut etiam fando audivit,* Electram *ad Logicos pertinere? Sed alii, ut cuique lubet. Hoc quidquid eſt, tua cauſſa* ed),

edo, tibique dicatum volo, veteri amico, de me ſtudiiſque mêîs præclare merito. Vulgo jam tenet, ut litterariæ exercitationes ædibus ſuperbiſſimis inferantur ad cultum & obſervantiam tarditatis. Noſtra hæc zotheculam quærit.; ubi ſit, qui ingenio & doctrina valeat; qui græce latineque ſciat: qui ea quæ ſunt, ab iis quæ videntur, ratione & judicio diſtinguat. Vides igitur, cur ad te veniat præſtanti natura & ſapientia virum, in tuto latentem, cui nec dare verba auſim, nec omnino poſſim. Fac benevole excipias, & hac veluti conciliatrice in gratiam cum Logico redeas. Vale

Patavio Id. Mai. MDCCXXXVII.

NICOLAO TRONO
EQUITI
PATAVINA PRÆFECTURA ABEUNTI
AD ACROASES IX. & X.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

Nunquam fere hujus Urbis Præfecti, aut Prætores provincia decedunt, quin Poetas commoveant, non tam pro merito, ut ſolet genus hoc, quam pro more, ſua quædam canentes. Quod quidem ita vulgare ac protritum conſuetudine eſt, ut jam chartulæ iſtiuſmodi non ad legendum, ſed ad tabernas ornandas inſtitutæ videantur. Ego tuarum virtutum, SENATOR AMPLISSIME, admiratione imbutus, & a Poeticis ſtudiis tam alienus, quam eſſe Logici ſolent, cogitare cœpi, num ratione aliqua graviore diem hunc, qui te inter populi plauſus & acclamationes patriæ reddit, litteris mandare poſſem, & noſtra erga te ſtudia ad æternitatis memoriam propagare. Si probas, inveni, Acroaſes duas, quarum alteram hoc anno, alteram ſuperiore in magna publici Gymnaſii luce recitavi, hoc ipſo die exire volo, tuoque nomine inſcribi; ut qui noſtra legent, ſimul illud habeant, nos de NICOLAI TRONI EQUITIS ſolertia, conſilio, integritate, ceteriſque dotibus, quibus regendi prudentia continetur, ſilere non potuiſſe. Nullus eſt in hac Civitate ordo, cui plurimum operæ ſtudiique non impenderis: ſed noſtrum hunc in primis ſingulari quadam benevolentia complexus es, beneficiis ornaſti, labore & induſtria adverſus ingruentia communiſti.

ſti. Senſere litteræ ac diſciplinæ in ſe derivari, quod tibi contulerant; nec ullum unquam imperium libentius tulerunt, quam tuum, quod eſſet ex ipſarum præceptis temperatum. Sed viro ſapienti non eſt difficile præeſſe illis, apud quos ratio & conſilium valet: ibi vero te, quantus eſſes, plane oſtendiſti, ubi cum ſtoliditate, cum ebrietate, cum inopia & deſperatione rerum luctandum fuit. Infimam populi partem dico, cui tu a ſummo mane patere aditum voluiſti, non ad tribunal modo, ſed in cubiculum; & ſive impudenter peteret, ſive importune urgeret, ſive etiam audacter & clamoſe quereretur, eam tamen ſemper incredibili moderatione animi & patientia tuliſti, non tam vultu Præſidis, quam vultu legis, quæ numquam iraſcitur. Illud vero permirum, cum dies ſolidos juri dicundo & componendis litibus dares, quomodo reliqua Principatus munia obire potueris; atque ita ſane obire, ut nullum cum omitteres, in ſingulis tamen unice verſari viderere. Quænam eſt ditionis Patavinæ pars, ſive urbana, ſive ruſtica, ſive profana, ſive ſacra, qui ordo, quæ ſodalitas, quod collegium, cujus non ſtatum, vires, conditiones ab ipſa origine cognoſcere volueris, & in tabulas referre, ut non caſu, ſed arte regeretur? Si tamdiu apud nos cum imperio fuiſſes, quamdiu nobis erat in votis, & rerum noſtrarum conſtitutio poſcebat, jam nullus, opinor, paterfamilias tam bene domum ſuam noſſet, quam tu urbem hanc, cives, agrum, provinciam totam. Sed perge quo fata vocant, & reip. ratio poſtulat: quandoquidem pro hac temporum felicitate Vir Virum excipit; nihilque tu tam grande cœpiſti, quod non perficere poſſit is, qui tibi ſufficitur. Ego extare monumentum volui, quo & tibi, ob ea, quæ feciſti, gratulater: & illi certa ratione quæ facturus eſt, prænunciarem.

TRIUM VIRIS
GYMNASII PATAVINI
MODERATORIBUS
AD ACROASIM XI.

Epiſtola præmiſſa editioni primæ.

Nunquam ſane, Viri ampliſſimi, tantulæ huic Diſſertationi auſpicia veſtra quærere auſus eſſem, niſi aliquid afferret dignum vobis. Scilicet conſilium affert Logicæ diſciplinæ cum Metaphyſica conjungendæ: quod cum ad ſcholæ frequentiam & celebritatem plurimum confert, tum etiam noſtris adoleſcentibus ad abſolutam quandam inſtitutionem opportuniſſimum eſt. Cum enim ante hoc tempus ad Metaphyſica ſtudia nullis Gymnaſii legibus tenerentur, a Dialecticis ad Phyſica convolabant, ſubinde vero alii alio, nihil Metaphyſicæ vocabulo ineſſe putantes, niſi ſcholaſticas Thomiſtarum & Scotiſtarum contentiones. Ipſa quoque Logica habet cur ſibi gratuletur, quod diſputationes ſuas tenues atque exiles, ductis ex hoc fonte opibus, ornare poſſit, & ad publicam loci majeſtatem conformare. Quod ipſa de ſuo tradit, ſi finibus teneatur, vix oſſibus hæret: ſi dilatare id velit, quaſique conveſtire, unde potius, quam ex Metaphyſica, quæ rerum Logicarum rationes & cauſſas continet, ſumere debet? Recte etiam mecum agitur (quid enim diſſimulem?) qui ad Hiſtoriam Gymnaſii hujus ſcribendam ex Logicis mæandris evocatus, videor mihi quodammodo poſt longam peregrinationem domum redire. Olim ſane optandum erat, ut perpe-

tua

tuo æquabilique curſu, quo me natura ipſa ducebat, tota vita contendere liceret; ſed quando Superis placet, ut homines bona ſua carendo comprehendant, vix nunc explicare oratione poſſum, quantum vobis debeam, qui me veteri inſtituto, atque adeo mihi ipſi, divino quodam beneficii genere reddidiſtis. Non eſt, cur de me plura dicam. De Hiſtoria vero ipſa liceat mihi bona venia dicere, ſiquis eam forte aut a Riccobono, aut a Thomaſino, aut a Papadopolo ſcriptam putat, hunc, quid ſit Hiſtoria, ſi modo ſcit, non ſatis cogitare. Fuere illi quidem, in ſuo quiſque genere doctiſſimi, & ad ſcribendum idonei: ſed opus tam grave, & per multa diffuſum ex obſcuriſſimis temporibus repetenda, totum hominem poſcit. Hic enim proxime fato functus, qui ſuperiorum induſtriam contempſit, & certe mole rerum ſuperavit, poſt annos ferme triginta, quibus Hiſtorici nomen ſuſtinuit, ad extremum id dedit, quod homo dare poterat in docendo aſſidue occupatus; idque ipſum dedit non ſine magno omnibuſque noto valetudinis detrimento. Ceterum ille & aliunde famæ ſecurus, & ſupra Græcam indolem ingenuus, aperte profitebatur, ſe tempori ſerviſſe, non rei: ego ab aliis cogitationibus veſtro conſilio & providentia liber, quantum in me erit, conabor efficere, ut poſteri me liberum fuiſſe intelligant. Valete.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

Academici nec falſa, nec vera admittebant: ſed ἀδιάφορα, *Pag.* 33. Contendebant, inter vera & falſa nihil eſſe diſcriminis, 27. Quomodo pugnarent cum Stoicis, 96. Quid eſſet apud eos probabile, 134.

Accipenſer, paucorum hominum piſcis, 145.

Acervalis, 17.

Achilles argumentatio, 43. Placet Zenoni, & aliis Philoſophis, 44. Unde dicatur, & quomodo fiat, 45. Quomodo evertatur ab Epicureis, *ibid.* Quomodo ab Ariſtolele, 46. Quomodo a vulgaribus Dialecticis, 47. Alia quædam evertendæ argumentationis hujus ratio, 48. Quomodo ſolveretur a Diogene, *ibid.* A quo inventa, 51.

Actus, & poteſtas, formulæ Ariſtoteleæ, 21. Actus in ſcientia quomodo pugnet cum habitu, 108. *&* *ſeq.*

Africani Juriſconſulti ἀσύστατον 37.

Alcibiades populares conciones verebatur, 22.

ἄλυτα, ἄπορα, ἀσύστατα, 16. 37. *&* *ſeq.*

Anaxagoras laudatur ab Ariſtotele, 121. quid ſentiret de nive, *ibid.*

Ἀντιστρέφον, 38. *&* *ſeq.*

Ἀπαιδευσία quid ſit, 124.

Apodixis imperfecta, 8. *&* 127.

Arceſilas quomodo ſcientiam tolleret, 23.

Ariſtoteles injuria reprehenditur, 6. Num ſit obſcurus, ubi, & cur, 91. *&* *ſeq.* Ejus libri Phyſici cur *de auditu* inſcripti, 92. Idoneo circulo utitur in demonſtrando, 74. Quos faciat probabilitatis gradus, 124. *&* 130. Ejus ad Alexandrum epiſtola, 91. Quomodo ſpatium & tempus infinitum diviſione dicat. 46.

Ejus

Ejus doctrina in invidiam & contemptum adducta, 94. Quomodo refellat Socratem, 106. quæſtiones aliquas moveri vetat, 115. & ſeq.

B

Baali ſuperſtitio, 75. & ſeq.
Biantis dilemma, 39.
Boethius, 10. & 67.

C

Calvus quæ argumentatio ſit, 21.
Carneades Novorum Academicorum auctor, 134. Tollit veritatis regulam, 135. Non tamen verum negat omne, 136. Probabile quodnam admittat, ibid. De cauſſis rerum quid ſenſerit, 65.
Catogorematice, & ſyncategorematice, formulæ familiares ſcholaſticis diſputatoribus, 47.
Catonis cavillatio, 35.
Cauſſæ rerum quomodo inter ſe aptæ ſint & conjunctæ, 80. & ſeq.
Ceratina, 72.
Chriſt. oratio, 107. Ejus generatio non eſt curioſis quæſtiunculis enucleanda, 118. Ejus miracula ad confirmandam miſſionem ſuam, 76.
Chryſippus multos libros ſcripſit de Sorite, 17. de fato, & cauſſis rerum quid ſentiret, 58. 60. & 66. Oppugnatur a Diodoreis, 63. Defenditur, 64. Quomodo fatum retulerit ad Deorum ſcientiam, ibid. & 66. Arbiter honorarius inter Stoicos & Epicureos, 60. Auctor Electræ, 95. Quid effici per eam vellet, 96. Mentientem inexplicabilem vocat, 32.
Cicero inexplicabilia dixit, 17. Soritem adhibuit, & roboravit, 18. & ſeq. Alicubi obſcura pro ignotis dixit, 87. Voluntatis libertatem quomodo defendat, 62. Fatalem neceſſitatem argumento probat, 56. tollit divinationem, 65. Ejus locus reſtitutus, 27. Viſorum evidentiam quomodo expsicet, 101.
Circulus interdum utilis argumentatio eſt, 70. & ſeq.

ſeq. Cum fallax eſt, minima quaque variatione ſolvitur, 73.
Color quid ſit; 52.
Confatale quid ſit, 66.
Cretenſes mendaces, 26.
Criterium veri, & Criterium criterii, 101. Criterium probabilitatis apud Novos Academicos, 137.
Crocodilina argumentatio, 40.
Cujacii ἀαύςατον, & pſeudomenos: 37. *& ſeq.*

D

Demonſtratio potiſſima quæ dicatur a Logicis, 74. Quomodo eam tolleret Socrates, 106. Ad eam revocari poteſt *Electræ* fallacia, 102.
Deus. Nec de ejus natura, nec de providentia curioſius diſputandum eſt, 116. *& ſeq.* Fato ſubjicitur a Diodoro, 59. Attribuenda illi proprie loquendo ſcientia rerum, non præſcientia, 66. Non affert vim humanæ voluntati, 65. Miraculis utitur ad fidem faciendam, 75.
Dialectica cur dicatur adſtricta, 5.
Dialectici veteres interrogando diſputabant, 5. *&* 18. Non veritatem, ſed victoriam quærebant, *ibid.* Dialectici juniores de mentis capacitate augenda ſcribunt, 83.
Dilemma reciprocum, 38. Exempla ejus varia, *ibid. & ſeq.*
Diodori Chroni de motu ſophiſma, 50. quomodo ſolutum ſit ab Herophilo, 51. Diodori de fato opinio, 58. De Deo quid ſentiat, 59.
Diogenes Cynicus quomodo probaret, dari motum, ſe non habere cornua, nec eſſe beſtiam, 49. *& ſeq.* Defenditur adverſus Baylium, *ibid.*
Diophanti Sorites, 25.
Diotima, fatidica mulier, 118.
Divinationem quomodo Cicero tolli putet, 64 *& ſeq.*
Dominans argumentatio, 35. Incidit in *ignavam rationem*, 78.

E

Eccleſia quomodo probetur, 75. *& ſeq.* Miraculis pateſit, 75. Verbo divino demonſtratur, *ibid.*

Electra argumentatio a quo inventa; & unde dicta, 95. Quid ſit, 96. Ejus uſus, 100. Accedit ad Inexplicabilia, 101. Quomodo explicetur; 102. Quomodo revocetur ad demonſtrationem, *ibid.* & *ſeq.*
Elias quomodo fregerit Baali ſuperſtitionem, 75. & *ſeq.*
Empedocles obſcurus, & cur, 90. & *ſeq.*
Enthymema quot modis ſumatur, & quid ſit apud Quinctilianum, 2. 9. & 29. quomodo definiatur ab Ariſtotele, 3. quomodo a Dialecticis, *ibid.* quomodo interdum ex paucioribus fiat, 4. unde ita nominetur, 6. cur dicatur ſyllogiſmus imperfectus, 7. quid de illo Cicero, 9. quid Pachymeres, *ibid.* quid Boethius, 10. cur dicatur *curtum* ab Juvenale, *ibid.* quomodo differat ab exemplo, 11. quomodo ab Inductione, 12.
Epaminondas ſapienter oraculis uſus, 68.
Epichirema unde dicatur, & quid ſit, 127. & 139. Utrum argumentatio Dialectica ſit, an Rhetorica, 128. Sæpe confunditur cum Enthymemate, 129. De ejus partibus, & forma, *ibid.* De materia, 130. & *ſeq.*
Evathli reciproca argumentatio, 38.
Eubulides pſeudomeni auctor, 32. *Electræ*, 95.
Evidentia quid ſit, 101. Ejus cauſſæ, 102.
Euſtratius, 109.
Exemplum quomodo argumenti rationem induat, 11.

F

FAlſum num poſſit eſſe probabile, 133. Falſa ſunt prope infinita, & facile irrepunt, *ibid.*
Fatum quomodo probetur, 57. & *ſeq.* Quid ſit, 59. Tollit religionem & virtutem, 60. Admittitur a Stoicis, non tamen omnibus; *ibid.* Quomodo referatur ad Deorum ſcientiam; & ad liberum hominis arbitrium ex ſententia Ciceronis, & D. Auguſtini, 65. Quid ſentiret Carneades, *ib.* Quomodo admitti fatum poſſit, 66. Quomodo tendum hac voce ſit, 67. Quomodo ad vitæ ſum traducatur, *ibid.* & *ſeq.*

Fidei ratio reddenda eſt, 74.
Figuræ ſermonis ad diſputandi perſpicuitatem faciunt, 86.

G

G*Aſſendi* hallucinatio, 6. Gaſſendus ſuum ſibi probabile conſtituit, quod aliis Philoſophis non placet, 138.
Gorgias quomodo tolleret æternum, & infinitum, 25. Suum ſibi probabile conſtituit, 138.

H

H*Eracliti* obſcuritas, 90. Ejus opinio de natura rerum, 107. De veritate, 123. & 130.
D. *Hieronymi* pſeudomenos, 35. Ejus monitum ad vitandam obſcuritatem, 85.

I

I*Gnava ratio*, 55. Ejus auctores Stoici creduntur, 56. Variis modis effertur, *ibid.* Zeno Stoicorum auctor argumentationem hanc ignoravit, 57. Non differt a *Metente*, nec a *Dominante*, *ibid.* Ad eam revocatur doctrina de Fato, 58. Quomodo ſolvatur argumentatio hæc, 66.
Ignorantia quomodo peccatum ſit, 107.
Incontinens ſimul ſcit, & neſcit, 108, & 111. Quomodo ſe excuſet, 112.
Individuum quid dicatur, 48.
Inductio quid ſit, 12.
Inexplebilis dicitur Sorites a Seneca. 18.
Inexplicabilia cur ita dicta, 17. quæ ſint, *ibid.* Euclides Dialecticus, & Zeno Cittiejus non ſolvi, ſed excipi ea volebant, 47.
Infinitum diviſione quodnam ſit, 48.
Intentio, prima ſyllogiſmi pars, 129.
Intervallum quomodo ſit infinite dividuum, 66
Juvenalis locus explicatus, 10.

L

L*Actantti* ἀσύςατον, 36.
Leges. De illis non eſt diſputandum, 120.
Libertatem cogitandi, & agendi quomodo tolleret Diodorus, 80. & *ſeq.* Quomodo admitteret atque explicaret Chryſippus, 82. & *ſeq.* Libertas

 hæc

hæc quo fundamento nitatur, 83. Præclare ſuſtinuit & oſtendit Plaucius Lateranus, 86.
Logicæ provincia anguſta, 69. Ejus laus, *ib. & ſeq.*
Ludibria vitæ, 52.
Luna illuminatur per gradus, 71.

M

Malebranchius non recte quæſtiones quaſdam reprehendit, 124.
Mayronas Franciſcus renovavit diſputandi modum Sophiſtarum, 115.
Menagii de *Calvo* opinio refellitur, 21.
Mentiens quid ſit, 52. Quomodo explicari poſſit, 54.
Mentis capacitas quomodo augeatur, 83. Mens quomodo corpori conjungatur, 87.
Metens argumentatio non differt ab *ignava ratione*, 57.
Miracula ſunt Chriſtianæ fidei & Eccleſiæ criterium, 74. *& ſeq.* Oſtenditur ex veteri & novo Teſtamento, 75. *& ſeq.* Hodie quoque, ſi opus ſit, miracula fiunt. 78. *& ſeq.* Quomodo vera miracula a falſis dignoſcantur, 79.
Montanarii opuſcula multi quærunt, & plurimi faciunt, 144.
Moſes, 79. 88. *&* 120.
Motum qui Philoſophi non admiſerint, 44. Quomodo eorum fallaciæ ab aliis diſſolverentur, 47. *& ſeq.* Quomodo probari poſſit, motum videri, non eſſe, 52.

N

Nivem eſſe nigram putabat Anaxagoras, 121.
Numa nocturnos congreſſus habet cum Dea Ægeria, 118.

O

Obſcura diſtinguenda ſunt ab ignotis, 86. Quidam ex profeſſo obſcuri ſunt, 88.
Obſcuritas in diſputando unde oriatur, 83. Qua arte vitari poſſit, 84. *& ſeq.* Interdum oritur ex rebus ipſis; 86. Platonicæ obſcuritatis cauſſa, 87. Obſcuritas quæſita, 88. Commoda Sophiſtis, 89. etiam alicui Philoſopho, 90. Pythagoræ obſcuritas quo ſpectaret, 90. Obſcuritas Peripateticæ Philoſophiæ, 91. Interdum tempori ſervit, 93.
Opi-

Opinio firma æquiparatur ſcientiæ, 107. Communis quanti valeat, 130. Num tribui ſapientibus poſſit, 135.
Oracula contraria quomodo eludi poſſint, 68.
Oreſtes, 95. & *ſeq.*

P

P*Achymeres*, 9.
Pacii Julii laus, 7.
Parentes. Officia illis debita non ſunt in quæſtionem vocanda, 119. & *ſeq.*
Parmenides voluit omnia eſſe unum, 53. & 122.
Patria. Non eſt diſputandum, num ſit defendenda, 120.
D. *Paullus* ſentiebat in ſe judicia repugnantia, 108. & 111. Ejus ἀσύστατον, 36.
Peccatum utrum oriatur ex ſcientia, an ex inſcitia, 106. & *ſeq.* Utrum ex opinione, 107. Quomodo, qui peccat, ſciat, & neſciat, 108. & *ſeq.*
D. *Petrus*, 74. & 77.
Philetas contabuit nimio ſtudio ſolvendi pſeudomeni, 32.
Piſtilli verſatio quid ſit, 70. Ejus exemplum ex Alciato, 71. Alterum minus idoneum ex D. Hieronymo, 72. Varia ejus nomina, *ibid.* Hac fallacia peccare dicuntur Chriſtiani, 72. & *ſeq.* Defenduntur, 74.
Plato obſcure diſputat, & cur, 87. Heracliteus eſt, 90. Moſes Atticus dictus, 88.
Plaucii Laterani conſtans libertas, 63.
Poetæ ad fatum inclinant, 61.
Pomponacius, 51.
Probabile quid ſit apud Ariſtotelem, 124. & 130. probabile primum & potiſſimum eſt, quod videtur omnibus, 130. Probabile ſecundum quodnam ſit, *ibid.* Quodnam probabile tertium, 131. Quænam probabilia reliqua, 132. Num probabile ſit falſum, 133. Quodnam ſit probabile Scepticum, 134. Quodnam Academicum, *ibid.* Quodnam apud Carneadem, 134. Stoicum probabile quodnam ſit, 137. & *ſeq.* Probabile apud

Gaſſendum, & reliquos juniores Dialecticos, 138.
Probabilitas quomodo dijudicetur, 130.
Protagoras de vero quid ſentiret, 97. Ejus libri de Diis, 116.
Pſeudomenos a quo inventus, & unde dictus, 32. Ejus difficultas in quo ſit poſita, 33. ad Pſeudomenon refertur dilemma reciprocum, 28.
Puncta Zenonis, 53.
Pythagoras obſcurus, & cur, 90.

Q

QUæſtiones quæ movendæ non ſint, 116. *& ſeq.* Aliquæ ſenſibus, vel irriſione ſolvendæ ſunt, 121. Quomodo ſolverentur ab Ariſtotele, 122. Quæ ab eo excitantur, vanæ non ſunt, *ibid. & ſeq.* Aliæ ad Analyticum, aliæ ad Dialecticum pertinent, 123. Quæſtiones de hominum opinione ac judicio num movendæ, 124.

R

RAtio quomodo cum ſenſibus pugnet, 108.
Rinaldinus exigua Montanarii volumina contemnebat, 143.

S

SApiens quinam ſit, 131. Utrum opinetur, 135.
Sceptici unde orti, 44. quænam probabilia admitterent, 134.
Scientia unde oriatur, 97. *&* 103. Quomodo impellat ad agendum, 108. *& ſeq.* Quomodo coaleſcat cum ignorantia, 108. *& ſeq.*
Scuticæ verſatio idem eſt ac *piſtilli* verſatio, 71.
Seneca multis Chriſtianis ſanctior, 119. Quomodo infinitum explicet, 48.
Senſus. In ſenſibus veri judicia ponebat Diogenes, 49. *& ſeq.* Quæ ſenſibus judicantur, non indigent diſputatione, 121. Utrum ſenſus rationi repugnet, 106. *& ſeq.*
Sermo diſputantis debet eſſe mundus, 86.
Serra argumentatio, 41.
Socrates judicatus eſt natura bardus & mulieroſus, 64. Socrates Platonicus, 71. *&* 118. Quomodo ſcientiam oppugnaret, 96.

Somniis num ſit credendum, 36. & 52.

Sorites interdum utilis, 17. Chryſippeus fallax, *ibid.* Unde dictus, & quid ſit, *ibid.* Eo uſus eſt Cicero, 18. *Inexplebilis* dicitur a Seneca, *ibid.* Eo utitur Sextus Empiricus, *ibid.* Cur ſit inexplicabilis, 19. Per eum contendit Zeno, peccata eſſe paria, *ibid.* Eo utitur Horatius, 20. Eo uſus eſt Socrates, 22. Quinam Sorites ſit idoneus & utilis, 22. Exemplum a Leibnitio petitum, *ibid.* Alterum a Plutarco per interrogationem, 23. Reciprocari poteſt, ut apud Lactantium, *ibid.* Interdum reciprocus & mixtus eſt, quod oſtenditur ex Arceſila, *ibid.* Quid ſit advertendum, ut recte concludat, 24. Quare ſit fallax, 26. Interdum fieri poteſt utiliter per enunciata negantia, 26. Velleii Sorites reprehenditur, 27. item Academicorum, *ibid.* Sorites utilis reſolvitur in plures ſyllogiſmos, 28.

Spatium quomodo ſecetur in partes infinitas, 46.

Stilpo Athenis expulſus, 116. Ejus Sorites, 23.

Stoici fatum admittunt, 60. Probabilia quænam eſſe velint, 137. & *ſeq.*

Summulæ, 17.

Summuliſtæ, 16. & 32.

Syllogiſmus ex ſigno, 4. Syllogiſmus imperfectus, 7. Syllogiſmus *μονολήμματος*, 8. Syllogiſmi partes, & partium nomina, 9. & 129. Syllogiſmus eorum, qui peccant, 109. & 112.

T

Tempus quomodo infinite dividi poſſit, 46.

Theologorum quorundam vanitas in diſputando, 117. & *ſeq.*

Thomiſtæ, & Scotiſtæ Philoſophi, 84.

Turcæ fato addicti, 56.

V

Velleii Sorites, 27.

Veritatis criterium, 101. Veritas amittitur altercando, 116. Quomodo dijudicetur, 133. Quomodo quæratur, 103.

Verum cur a Græcis dicatur ἀληθὲς, 130.

Vi-

Viſum quid ſit, & quomodo dividatur a Stoicis, 98. *&* 137. Viſum Herculis, 99. Viſa Epicureorum, 100. Ratione judicari debent, *ibid.* Viſum evidens quodnam ſit, & quomodo probetur ejus evidentia, 101. *& ſeq.* Viſum probabile, 135. *& ſeq.*
Voluntatis libertas, 62.
VVolfius Chriſtianus ſua quædam probabilia conſtituit ab aliis Philoſophis diverſa, 138.
Uxor num ducenda, 40.
Uxoria forma ex Phavorino, 40.

Z

ZEno Cittiejus motum negavit per argumentationem, quæ *Achiles* dicitur, 43. *& ſeq.* Num ita ſenſerit ex animo, 51. Excuſatur, 52. Ejus puncta, 53. Dictus eſt bilinguis, 54. Non contemnendus, ibid.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Pretium trium Voluminum eſt
Lib. 6. Venetarum

MAG 2009287